DE MAGISTRATUUM ROMANORUM GRAECIS APPELLATIONIBUS.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

MAXIMILIANUS MENTZ

IENENSIS.



IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MDCCCXCIV.

1894

MATRI · MEAE · CARISSIMAE
SACRUM

Romani magistratus inde ab eo tempore quo cum Graecis commercium haberi coeptum est certis graecis nominibus carere non poterant, praesertim cum haud in paucis Italiae urbibus consuetudo graeca diu retenta sit; exemplum afferam Neapolitanae civitatis, ubi sermo graecus usque ad Diocletiani tempora in usu erat[1]). Qua ab urbe Romanos primas appellationes graecas magistratuum suorum mutuatos esse demonstravit Mommsenus[2]). Graeca igitur nomina senatus (*σύνκλητος*) tribunorum (*δήμαρχοι*) aedilium (*ἀγορανόμοι*) Romani a Neapolitanis magistratibus sumpserunt, fortasse etiam quaestorum (*ταμίαι*). Neque vero omnes magistratus eodem tempore ac certa quadam ratione graecas denominationes acceperunt, sed fortuito magis, prout eis plus minusve carebant. Itaque consulibus, qui plurime cum externis nationibus agebant, primis graecum nomen datum est; nam antiquissima consulis vox, scilicet *στρατηγὸς ὕπατος*, ad illud tempus accedere videtur, quo latine consul appellabatur praetor maximus.[3])

Sexto vero a. u. c. saeculo, cum Romani saepius conveniebant cum Graecis, certus sermo graecus ortus est, quo senatus consulta, foedera, epistulae magistratuum conscripta sunt. Quo de sermone cum luculenter egerit Paulus Viereck dissertatione Gottingensi, quae inscribitur: sermo graecus

---

1) Beloch, Campanien p. 12.
2) cf. Mommsen, Röm. Staatsrecht III. 146; 646. C. I. L. X.
3) cf. Mommsen, Staatsrecht II. 75.

quo senatus populusque Romanus . . . usi sunt examinatur, Gottingae MDCCCLXXXVIII, ego pauca quidem sed necessaria verba faciam de hac re. Illa publica documenta dialecto communi graecorum conscripta neque vero a Graecis sed a Romanis Romae concepta esse docent formulae senatus consultorum, quae latino sermoni quam maxime accommodatae a graeco plane abhorrent; quo de sermone legitimo latino magis quam graeco optime disseruit Mommsenus[1]). Quaeritur utrum ei, qui res gestas Romanorum graeca lingua enarrabant, hunc sermonem legitimum omnino secuti sint an usi sint genere dicendi liberiore et graecae linguae magis accommodato[2]). Imprimis igitur disputabimus de sermone Polybii, dein Dionysii Halicarnassensis, Diodori, Strabonis, Iosephi, Plutarchi, Appiani, Dionis Cassii, Herodiani, denique Ioannis Lydi, qui de magistratibus Romanis tres conscripsit libros multis erroribus insignes.

Sed illas denominationes, quas usurparunt rerum Romanarum graeci scriptores melius intellegemus, si primo loco legitimum respicimus sermonem; quare apud quemque magistratum, primum quomodo in titulis, dein quomodo a scriptoribus appellatus sit, disseremus.

De consulibus.

Consul cum sit summus et notissimus Romanorum magistratus saepissime in titulis graecis et a scriptoribus rerum Romanarum commemoratur. Neque vero uno modo graeco vocabulo significatur, sed diversis temporibus variis appellatur denominationibus; nam T. Quinctius Flamininus vocatur

---

1) Ephem. epigr. I 284.

2) Aug. Wannowski (antiquitates Romanae e graecis fontibus explicatae 1846) qui hanc rem iam prius tractavit permultos illos titulos novissimis decenniis repertos non novit; quare ex titulorum cum scriptoribus comparatione nonnulla quae digna sint commemoratu afferre me posse spero.

στρατηγὸς ὕπατος Ῥωμαίων vel *ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ὕπατος*, quibus verbis Graecos reddidisse latina „praetor maximus" demonstravit Mommsenus [1]). Idem nomen etiam in aliis sexti a. u. c. saeculi titulis versatur, septimo vero rarescit et mox plane non legitur. Nam pro *στρατηγὸς ὕπατος* solum adiectivum positum est *ὕπατος*, cum brevitatis causa, tum ut consules (*ὕπατοι*) et praetores (*στρατηγοί*) certius distinguerentur.

Haec denominatio consulis vigebat usque ad ultima imperii Romani tempora. Illa vero antiquior appellatio (*στρατ. ὕπατος*) quo tempore cesserit huic recentiori (*ὕπατος*), fortasse ex titulis accuratius definire possumus.

στρατηγοὶ ὕπατοι hi viri appellantur: [2])

1) T. Quinctius Flamininus (cos. $^{556}/_{198}$) in tribus titulis, qui inter annos $^{558}/_{196}$ et $^{560}/_{194}$ conscripti sunt. [3])
2) P. Cornelius Scipio (cos. $^{560}/_{194}$). [4])
3) L. Cornelius Scipio (cos. $^{564}/_{190}$).
4) Cn. Manlius Volso in epistula ad Heracleenses scripta. (cos. $^{565}/_{189}$). [5])
5) Q. Marcius Philippus (cos. $^{585}/_{169}$). [6])
6) L. Mummius in sex titulis a Mummio ipso vel ab aliis dedicatis (cos. $^{608}/_{146}$). [7])
7) Q. Metellus (cos. $^{611}/_{143}$). [8])
8) L. Caecilius Metellus (cos. $^{612}/_{142}$). [9])

---

1) ephem. epigr. I 223 sqq.

2) cf. Mommsen St. R. II 76 ad. 1. In titulo M. Antonii cos. $^{655}/_{99}$ (Bull. de correspondence hellénique VIII 133) quo legitur *στρατηγὸς ὕπατος τειμητής* certe discernenda sunt vocabula *στρατηγός* et *ὕπατος*.

3) Dittenberger, sylloge 199. 200. 202.

4) Bull. de corr. hell. VI p. 40 sq.

5) Ditt. sylloge 207. 6) Ditt. syll. 227.

7) Ditt., C.I.G. Graeciae septentrionalis: 1808. 2478. 2478a. Archaeol. Ztg. 1876 p. 86; 1879 p. 147.

8) Ditt. sylloge 237. 9) Ditt. sylloge 238.

9) Servius Fulvius Flaccus (cos. $^{619}/_{135}$).[1])
10) L. Calpurnius Piso (cos. $^{621}/_{133}$).[2])
11) consul cuius nomen periit.[3])

Primi vero *ὕπατοι* nominantur hi viri:
1) Aulus Hostilius (cos. $^{583}/_{171}$).[4])
2) L. Mummius (cos. $^{608}/_{146}$).[5])
3) P. Valerius Crassus (cos. $^{623}/_{131}$).
4) Manius Aquilius (cos. $^{625}/_{129}$).[6])
5) P. Rutilius (cos. $^{649}/_{105}$).[7])
6) Q. Lutatius Catulus (cos. $^{676}/_{78}$).[8])

Plura exempla enumerare non oportet, cum inde a medio septimo a. u. c. saeculo *ὕπατος* sola et sollemnis consulis graeca appellatio semper fuerit.

Quibus ex exemplis apparet illis temporibus, quibus primum Romanis fuit cum Graecis commercium et consuetudo, legitimam consulis graecam appellationem fuisse *στρατηγὸς ὕπατος*; mox vero breviorem introductam esse in sermonem sollemnem (scil. *ὕπατος*) non uno quodammodo ictu, ut ita dicam, sed paullatim secundo a. C. n. saeculo vertente. Quod ita factum est, ut antiquum nomen in quibusdam formulis sollemnibus adhiberetur: *στρατηγὸς ὕπατος τῇ συνκλήτῳ συνεβουλεύσατο*, *στρατηγὸς ὕπατος τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ . . χαίρειν*, similibus, ceterum vero recentius nomen magis tritum esset; quod optime observare possumus in S. Cto. de Prienensibus anno $^{619}/_{135}$ facto,[9]) cuius in initio adest formula sollemnis: *Σέρουιος Φόλουιος Κοΐντου υἱὸς στρατηγὸς ὕπατος*[10]) *τῆι συνκλήτωι συνεβουλεύσατο ἐγ κομετίωι*, sed paullo post in contextu idem vir appellatur *Σέρουιος Φόλουιος Κοΐντου ὕπατος*.

---

1) Ditt. sylloge 241. 2) Ditt. sylloge 239. 3) Ditt., C.I.G. Gr. sept. 2414. 4) Ditt. sylloge 226. 5) Ditt. sylloge 240. 6) C.I.G. 2920. C.I.L. I 557. 7) C.I.L. I 203. 8) Kaibel, inscr. gr. It. et Sic. 951. 9) Viereck, No. 14.

10) *στ[ρατηγὸς ὕ]πατος* recte restituit Mommsenus contra Wad-

Mummii temporibus antiquum nomen consulis sollemne quidem fuisse videtur, sed iam magis pervulgatum alterum; Flamininus enim in titulo circa Mummii tempus conscripto non *στρατηγὸς ὕπατος* sed *ὕπατος* appellatur. [1]) Porro Mummius in iis titulis, qui ad anathemata ab ipso dedicata pertinent, vel omnino suis temporibus conscripti sunt, semper denominatur *στρατηγὸς ὕπατος Ῥωμαίων*, in titulo vero Olympico a Messeniis aliquanto post Mummii aetatem dedicato *ὕπατος* (*ἢ ἀνθύπατος*) [2]) et in basi statuae primo a. C. saeculo statutae *Λεύκιος Μόμμιος ὁ ὕπατος*. [3])

Nova appellatio ob id tam celeriter antiquam suo loco demovisse videtur, quia magis idonea erat, qua consul et praetor distinguerentur; nam, in antiquissimo quo vocabulum *ὕπατος* adest titulo ex adverso posita sunt verba *στρατηγός* et *ὕπατος*: *καθὼς ἂν Κοΐντῳ Μαινίῳ στρατηγῷ δοκῇ* . . . . et *περὶ τούτου τοῦ πράγματος πρὸς Αὖλον Ὁστίλιον ὕπατον γράμματα ἀποστεῖλαι ἔδοξεν*. Eodem modo consul et praetor discernuntur in S. Ctis de Narthaciensibus et Melitaeensibus, de Astypalaeensibus, de Lampsacenis, aliis.

Vocabulum *στρατηγός*, quod apud Polybium saepe consulem significat, in titulis hoc sensu non adhibetur. [4])

Verbum *ὑπατεύειν* in titulis non ante aetatem imperatorum reperitur; primum quod inveni exemplum est monumenti Ancyrani graeca versio. (II 22 VIII 2 etc.) Consul designatus est passim *ὕπατος ἀποδεδειγμένος*. [5])

---

dingtonii coniecturam *Στελλατίνα ὕπατος*: nam tribus non additur ad nomen consulis, qui senatum consulit, cf. Eph. epigr. I 223 ad. 2.

1) Bull. de corr. hell. VI 356 cf. Viereck No. 12. Willems, le sénat etc. I 208.

2) Dittenberger, sylloge 240.

3) Archaeol. Ztg. 1878 p. 86.

4) excepto illo *στρατηγός* post praecedens *στρατηγὸς ὕπατος* in titulo Cretico (C.I.G. 2561. b.) quod neglegentiae vel imperitiae attribuimus eorum, qui hunc titulum conscripserunt.

5) C.I.G. 2737, 4818, 4022 etc.

Si consulum nomina ad annum determinandum adhibentur, graece dicitur plerumque ἐπὶ ὑπάτων;[1]) id quod latino sermoni („consulibus") maxime respondet: ὑπάτοις (vel etiam ὑπάτοιν[2]) primo occurrit nobis in S. Cto. anni $^{715}/_{39}$,[3]) postea saepius;[4]) porro in usu sunt: ὑπατείας,[5]) ὑπατείᾳ,[6]) ἐν ὑπατείᾳ,[7]) ἐπὶ ὑπατείας,[8]) ἀπὸ ὑπατίας,[9]) temporibus posteriorum imperatorum.

Κος. vel *Κως.* (i. e. consulibus) legimus in titulis saeculi p. C. tertii.[10])

Iam ad proconsulis graecam appellationem adeamus. Initio propria graeca nomina proconsulis et omnium aliorum qui pro magistratu fungebantur, non in usu fuisse videntur; sed proconsul στρατηγὸς ὕπατος, propraetor στρατηγός appellantur. Exempla nonnulla afferam. Cn. Manlius Volso consul erat anno $^{565}/_{189}$, sed epistula qua στρατηγὸν ὕπατον se appellat demum $^{566}/_{186}$ scripta est, cum proconsul erat.

T. Quinctius Flamininus στρατηγὸς ὕπατος appellatur in tribus titulis, qui post consulatus annum ($^{556}/_{198}$) conscripti sunt (intra annos $^{558}/_{196}$ et $^{560}/_{194}$). Etiam in titulo circa finem sexti a. u. c. saeculi dedicato[11]) nominatur ὕπατος (οὓς νόμους Κοΐγκτιος ὕπατος ἔδωκεν) cum proconsul erat; intellegendae enim sunt leges, quas Flamininus proconsul ad ordinandas res graecas edidit; ergo tum quoque cum hic titulus scriptus est, graeca promagistratus propria denominatio nondum in usu erat omnium.

Primum certum exemplum appellationis ἀνθύπατος in titulo Mummiano[12]) invenimus, qui vero post Mummii consulatum scriptus est: *Λεύκιος Μόμμιος ὕπατος ἢ ἀνθύπατος*;

1) C.I.G. 2485 etc. 2) C.I.G. 5853. 3) Bull. de corr. hell. XI 225. 4) Mon. Anc.; C.I. G, 3163, 3173 etc. Ios. ant. XIV 10, 13. 5) C.I.G. 4585. 6) cf. exempla quae affert Kaibel, in indic. IX. 7) Kaibel, 2290. Mon. Ancyr. 8) Kaibel, 9566. 9) C.I.G. 9259. 10) C.I.G. 6698, 5890. 11) Viereck, No. XII.

12) Dittenberger, sylloge 240.

aliorum enim qui in titulis ἀνθύπατοι appellantur, tempus certe definiri non potest; Fabius Maximus, qui in epistula ad Dymaeos scripta [1]) ἀνθύπατον Ῥωμαίων se nominat, fortasse est consul anni $^{614}/_{140}$, fortasse vero $^{638}/_{116}$; etiam ἀνθυπάτου illius cuius nomen periit in decreto Magnetum commemorati [2]), et στρατηγῶν ἀνθυπάτων, qui in titulis Deliis [3]) commemorantur tempus incertum est; ergo titulus ille Mummianus primum certum exemplum huius appellationis praebet; quam novam tum fuisse et inusitatam apparet ex incertis et dubiis vocabulis ὕπατος ἢ ἀνθύπατος. Ceterum vox ἀνθύπατος non prius fingi poterat, quam eo tempore, quo ὕπατος pro antiquo vocabulo στρατηγὸς in usum receptum erat, id est non ante finem sexti a. u. c. saeculi; nam antea ut consul στρατηγὸς ὕπατος ita proconsul στρατηγὸς ἀνθύπατος appellatus esset; atqui στρατηγὸς ἀνθύπατος ubi in titulis invenitur, praetorem pro consule, non proconsulem significat.

Graecis igitur in titulis primo tempore magistratuum et promagistratuum nomina non discreta sunt; sed, ubi proconsul στρατηγὸς ὕπατος nominatur, in universum imperium consulare exprimitur; [4]) etiam latino sermone imperium proconsulis appellatur plerumque consulare, posteriore demum tempore proconsulare. [5])

Haec fere de consulum nominibus, quae in titulis versantur dicenda mihi erant, quare nunc ad scriptores imprimis Polybium transeamus.

Polybius igitur, ut consules significet, his vocabulis utitur: ὕπατος, στρατηγός, στρατηγὸς ὕπατος, ἄρχων, (ἡγεμών) quo-

---

1) cf. Viereck ad no. 4. Zumpt. commentt. epigraphicae II 167.

2) Mitt. d. dt. archaeol. Instit. XV 298.

3) Bull. de corr. hell. IX. 380 XI 271.

4) cf. Hicks, a manuel of epigraphie p. 327: στρ. ὕπ..... used here of Flamininus it expresses his consulare imperium.

5) cf. Mommsen, St. R. II 647. ad. 1.

rum saepe adhibere solet *ὕπατος* et *στρατηγός*, paucis tantummodo locis alia.

ὕπατον legitimam consulis appellationem esse ex titulis nobis persuasimus; neque vero altera vox *στρατηγὸς* hoc sensu unquam in titulis versatur, quare Polybium eam non e sermone legitimo sumpsisse sed ipsum sibi finxisse censeo analogiam secutum graecarum civitatium, quibus magistratus summus *στρατηγὸς* appellabatur, velut Achaeorum, Aetolorum, aliorum.

Neque vero eodem sensu adhibere Polybium vocabula *στρατηγὸς* et *ὕπατος*, sed discrimen facere inter ea his ex locis apparet:

I. 16. 1. *καταστήσαντες ὑπάτους Μάνιον Ὀτακίλιον καὶ Μάνιον Οὐαλέριον τάς τε δυνάμεις ἁπάσας ἐξαπέστελλον καὶ τοὺς στρατηγοὺς ἀμφοτέρους εἰς Σικελίαν.* I. 11. 3. *προχειρισάμενοι τὸν ἕτερον τῶν ὑπάτων στρατηγὸν Ἄππιον Κλαύδιον ἐξαπέστειλαν* ....

Ergo *ὕπατοι* consules appellantur a populo creati et in urbe versantes, *στρατηγοί* vero cum imperio militiae ad bellum profecti [1]). Itaque vox *ὕπατος* coniuncta esse solet cum vocabulis, quae eligere creare exprimunt:

II. 34. 1. *οἱ κατασταθέντες ὕπατοι.*
III. 75. 5. *οἵπερ ἔτυχον ὕπατοι τότε καθεσταμένοι.*
III. 110. 4. *μεταλαμβάνειν τὴν ἀρχὴν τοὺς ὑπάτους.*
XI. 32. *κατάστασις τῶν ὑπάτων* etc.

στρατηγός vero cum verbis *ἐκπέμπειν, ἐξαποστέλλειν* aliis, quae ad bellum gerendum pertinent:

I. 16. 1. *τοὺς στρατηγοὺς ἀμφοτέρους ἐξαπέστελλον.*
I. 17. 6. *οἱ στρατηγοὶ ἀνακεχωρήκεισαν.*

---

1) hoc discrimen faciendum esse inter *στρατηγός* et *ὕπατος* iam mihi persuaseram, cum Hultschii alteram editionem Polybii historiarum, cuius in praefatione hic vir doctissimus de eadem re disseruit, perspiciebam.

I. 27. 12. *συναγωνιζομένων τῶν στρατηγῶν.*

I. 34. 12. *καὶ τὸν στρατηγὸν αἰχμάλωτον ἔχοντες.*

I. 41. 2. *τὸν στρατηγὸν ἐκπέμπειν.*

III. 61. 8. *τὸν ἕνα τῶν στρατηγῶν ἐξαπεσταλκότων* etc.

Praeter substantivum *στρατηγός* etiam verbum *στρατηγεῖν* Polybius eodem sensu usurpat:

II. 21. 7. *Μάρκου Λεπίδου στρατηγοῦντος.*

III. 114. 6. *οἱ τῷ πρότερον ἔτει στρατηγοῦντες.*

XXII. 12. 11. *Μάρκου δὲ τοῦ τότε στρατηγοῦντος ἀδελφός.*

Ceterum Polybius consulem *ὕπατον*, non *στρατηγόν*, appellat, ubi a praetore eum discernit. cf. II. 23. 5: *Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον ἐξαπέστειλαν ὡς ἐπ' Ἀριμίνου, ἕνα δὲ τῶν ἐξαπελέκεων εἰς Τυῤῥηνίαν.* III. 40. 9. *Γάιος Λουτάτιος τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφώς, οἱ δὲ δύο τὴν ἐξαπέλεκυν,* II. 107, II. 24, VI. 53. 7.

Ergo *ὕπατος* apud Polybium esse propriam consulis denominationem et legitimam, *στρατηγός* vero vocabulum a scriptore ipso ad ducem belli eum significandum electum constare mihi videtur[1]); quare Polybius sexto libro, ubi potestatem consulis explicat, *ὕπατον* eum plerumque appellat, ubi vero de re militari disserit, *στρατηγόν.*

στρατηγοὶ ὕπατοι consules tribus tantummodo locis nominantur: I. 52. 5. VI. 14, 2 XVIII. 29. 5.

T. Quinctius Flamininus ita appellatur in decreto de Graecia liberanda facto (XVIII. 29. 5.) cuius verba Polybius affert; si verba sunt Flaminini genuina, res per se declaratur; si vero scriptoris, certe consulto Flamininum ita significari apparet; nam Polybius, qui publicis documentis tam diligenter utebatur, haud dubie Flamininum in epistulis et decretis

---

1) Quare *ἐπὶ Τίτου Κοϊντίου καὶ Γναίου Δομιτίου στρατηγῶν* quod legitur in foedere cum Aetolis pacto non ex graeco exemplari foederis descriptum esse potest, quod demonstrasse sibi visus est Viereckius de his S.C. tis etc. apud Polybium servatis; nam in foedere *ἐπὶ ὑπάτων*, non *ἐπὶ στρατηγῶν* dicendum erat.

στρατηγὸν ὕπατον se appellasse sciebat. Accedit quod ante et post hunc locum idem vir semper *στρατηγὸς* vel *ἡγούμενος* appellatur; neque enim his locis Polybius legitimum sermonem sed suum sequebatur.

Libro sexto, (14. 2) quo agitur de re publica Romanorum, Polybius potestatem consulum ita explicat: *τῶν δὲ στρατηγῶν ὑπάτων πάλιν αὐτοκράτορα μὲν ἐχόντων δύναμιν περὶ τὰς τοῦ πολέμου παρασκευάς, αὐτοκράτορα δὲ τὴν ἐν τοῖς ὑπαίθροις ἐξουσίαν.*

Quo de loco disseruerunt Hultschius [1]) et Theodorus Büttner Wobst [2]), qui Polybium *στρατηγὸν ὕπατον* non „praetorem maximum" interpretatum esse, sed *ὕπατον* adhibuisse substantive non adjective affirmarunt causis commoti grammaticis, recte, ut mihi videtur; nam aliis permultis locis Polybius vocabulum *ὕπατον* substantive usurpat. Neque vero ob id, quod scriptor *στρατηγὸν ὕπατον* duo esse substantiva in structura appositiva copulata putat, etiam in titulis eodem modo usurpatum esse existimare debemus; quare non plane reiciendam esse Mommseni coniecturam (*στρατηγὸς ὕπατος* = praetor maximus) puto. In sermone enim legitimo *στρατηγὸς ὕπατος* antiquissima est consulis appellatio; quae certe ut ceterorum magistratuum nomina non a Graecis sed a Romanis creata est; neque vero hos cum alias quoque magistratuum suorum appellationes fortiter magis quam apte et perite in graecum sermonem transtulerint, hac in re tantis argutiis fuisse persuadere mihi possum, ut consulem duobus vocabulis significarent, quorum alterum imperium militiae, alterum imperium domi exprimeret. Buettnerus ipse hanc rem appellat „eine eigentümliche Thatsache" [1]), ego Romanos tertio a. C. vel priore saeculo tanta diligentia et elegantia potestatem duplicem consulis significasse

---

1) In editionis alterius praefatione p. XII sqq.
2) Fleckeiseni annales 1892. 145 p. 166. sqq.

vel omnino significare potuisse credere non possum. At vero Polybius antiquam illam denominationem, quam in documentis sui quoque temporis inveniebat, suo modo declarasse non est cur negemus; itaque cum ὕπατος sua aetate substantive iam adhiberetur, στρατηγὸν ὕπατον duo esse substantiva putavit atque ita adhibuit, vel singula, vel etiam coniuncta.

Nonnumquam consules ἄρχοντας vocat, scilicet his locis: I 24. 9. I. 39. 1. III 109. 1. ἄρχων apud Polybium omnesque alios scriptores significat in universum magistratum, quare recte consules, hi magistratus ut ita dicam κατ ’ἐξοχήν, ἄρχοντες appellari poterant[2]; aliis locis summos magistratus significat Polybius: οἱ τὰς ὑπάτους ἀρχὰς ἔχοντες (II. 11. I. VI. 19. 5; 21, 4).

Denique consules duces breviter nominantur: III. 108. 6 ἡγεμόνας ἀμφοτέρους . . . XVIII 29. 14 etc.

Paene omnes consulum denominationes collatae sunt l. III 106—109:

106, 1 εἵλοντο στρατηγούς.
106, 2 οἱ δὲ προυπάρχοντες ὕπατοι.
106, 11 οἱ προεστῶτες τῶν Ῥωμαίων.
108, 6 ἡγεμόνας ἀμφοτέρους.
109, 1 τοὺς ἐκ τοῦ πρότερον ἔτους ἄρχοντας.

Iam quomodo proconsulem verterit Polybius consideremus. In titulis vocabulum ἀνθύπατος non ante initium septimi a. u. C. saeculi in usu fuisse legitimo videtur. Eodem fere tempore Polybius historiarum suarum primam partem

---

1) cf. p. 169 „da die griechischen Bezeichnungen für römische Magistrate nicht aus feinsinnigen Beobachtungen der Competenzen derselben erwuchsen, sondern sich an die officiellen Namen soweit es möglich war anschlossen . . .“

2) Qua ex re Hultschius colligit olim ἄρχοντας ὑπάτους consules appellatos esse.

conscripsit[1]). Itaque hic mox propria voce proconsulem significat *ἀνθύπατον*, mox proprio vocabulo non exprimit, sed *στρατηγόν* vel *ὕπατον* eum nominavit cf. XXI 10. 11 *πρὸ τοῦ τὸν ἀνθύπατον ἐλθεῖν* XXVIII 5. 6 *ἀπῆραν πρὸς τὸν ἀνθύπατον.*

ἀντιστρατηγός proconsul appellatur XXVIII. 3 1; *ὅτι Αὖλος κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἀντιστρατηγὸς ὤν.*

Saepius autem imperium prorogatum verbo non exprimitur, sed latet sub consulis denominationibus, cf. I. 38. 10 *καὶ τὸν στρατηγὸν αἰχμάλωτον ἄγοντες* (scil. Atilium Regulum, cuius de imperio prorogato vide Val. Max. IV. 4. 6) X. 34. 1 *Πόπλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγός* (Scipio cum proconsulari imperio in Hispaniam missus) XXXIX. 4. etc.

Ergo Polybii temporibus propriam promagistratus graecam denominationem non omnium in usu fuisse etiam apud hunc ipsum observamus; accedit, quod Polybius, si vocabulo *ἀντιστρατηγός* utitur, non semper propraetorem sive proconsulem intellegit, sed etiam Baebium legatum ita appellat, (XV. 4. 1) qui vice Scipionis exercitui praeest, neque vero est propraetor. Posteri quoque scriptores, ut hoc obiter commemorem, quamquam noverunt graeca promagistratuum vocabula, tamen non semper adhibuerunt, velut Plutarchus (Aem. 9. *ὑπατικός*-proconsul) Strabo (XVII. 3. 25) Appianus (Mithr. 121) Dio (60.6).

Consularem Polybius, cum *ὑπατικός* adjectivum a posteris usurpatum nondum adhibeat, pluribus verbis explicat *τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφότα.*

Haec fere de Polybio mihi dicenda erant; de ceteris vero scriptoribus multo minus est, quod commemoremus; nam cum inde a fine sexti a. u. c. saeculi *ὕπατος* publica et pervulgata consulis denominatio facta esset, scriptores quoque omnes eam accipiebant.

---

1) cf. Thommen, Hermes XX 196 sqq.

Nonnulli vocem latinam consulis interpretari student, velut Dionysius (IV. 76.) *τοὺς δ' ἄρχοντας τούτους ἔταξαν καλεῖσθαι κατὰ τὴν ἑαυτῶν διάλεκτον κώνσουλας, τοῦτο μεθερμηνευόμενον εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν τοὔνομα συμβούλους ἢ προβούλους δύναται δηλοῦν, κωνσίλια γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰς συμβουλὰς καλοῦσιν*; „consulem" a „consulere" derivasse non solum Dionysium, sed paene omnes antiquos scriptores demonstravit Mommsenus [1]).

Ceteroquin Dionysius semper utitur vocabulo *ὕπατος*; *στρατηγὸς ὕπατος* semel tantummodo legitur in epistula ad Pyrrhum regem scripta (XIX 10) *Πόπλιος Οὐαλέριος Λαβίνιος στρατηγὸς ὕπατος Ῥωμαίων βασιλεῖ Πύῤῥῳ χαίρειν*, ubi antiquum et sollemne genus dicendi imitari scriptorem apparet.

Praeter substantivum *ὕπατος* Dionysius persaepe usurpat verbum *ὑπατεύειν*; etiam *ὑπατείαν* ex sui temporis sermone vulgari sumpsisse videtur; nam neque apud Polybium neque in titulis [2]) Dionysii aetate scriptis haec verba inveniuntur.

Consulatus exprimitur aut vocabulo *ὑπατεία*, aut *ἀρχή* (*τὴν ἀρχὴν κατέσχεν* V 52 etc., etiam consules breviter *ἄρχοντες* significantur X 34).

Latinum adjectivum consularis Dionysius reddit aut vocabulo *ὕπατος* (*ὕπατος ἐξουσία* VII 1) aut adjectivo *ὑπατικός* (*ὑπατικὴ ἐξουσία* V 48 X 18, *ἀνὴρ ὑπατικός* II 66 V 50).

Proconsul est *ἀνθύπατος* (IX 17), proconsularis potestas *ἐξουσία ἀνθύπατος* (IX 16, XI 62).

Isdem utitur vocabulis Diodorus. Plutarchus consulem semper *ὕπατον* (*ὑπατεύοντα*) appellat, quattuor tantummodo locis *στρατηγὸν ὕπατον*: Flamin. 10 (in decreto, quo Flami-

---

1) St. R. 77 ad. 3.

2) Excepta Mon. Ancyr. versione graeca, quae omnino abhorret a sermone legitimo.

ninus libertatem Graeciae proclamat) qui locus verbotenus sumptus est e Polybii libro XVIII. 29. 5. Etiam alterum locum (apophtgm. reg. et imp. p. 239 ed. Dübner *Πόπλιος Λικίνιος ὕπατος στρατηγός*) a Polybio descriptum esse verisimile est. Ceteris duobus locis *στρατηγὸς ὕπατος* non est illa antiqua consulis denominatio, sed nihil aliud significat nisi ducem summum oppositum legato: Flam. 15: *στρατηγὸν μὲν ὕπατον τοῦ πολέμου Μάνιον Ἀκίλιον κατέπεμψαν, πρεσβευτὴν δὲ Τίτον*. Mar. 7: *Ἐπεὶ δὲ Κεκίλιος Μέτελλος ἀποδειχθεὶς ἐπὶ τὸν κατὰ Ἰουγούρθα πόλεμον ὕπατος στρατηγὸς εἰς Λιβύην ἐπηγάγετο πρεσβευτὴν Μάριον.*

Vocabulis *ὑπατεία* (*ὑπατείας τάξις* consularis dignitas Pomp. 31), *ὑπατικός* (*ὑπατικὸν ἀξίωμα* Flam. 19), *ὑπατεύειν* (etiam *συνυπατεύειν*) Plutarchus persaepe utitur; nonnunquam consules breviter *ἄρχοντες* (Cor. 5. Marc. 7; 10; Ti. Gr. 19 etc.) et consulatus *ἀρχή* (Caes. 14) significantur.

Appianus in iis libris, qui de bellis civilibus agunt, consulem semper *ὕπατον* appellat; in illis vero, quibus Polybium secutus est, praeter *ὕπατον* interdum *στρατηγόν*: cf. Hann. 40: *τῶν δὲ στρατηγῶν Ἄππιος μὲν Καπύῃ παρέμεινεν .... Φούλβιος ὁ Ῥωμαίων στρατηγός*. cf. etiam Mac. 6. Hisp. 82 Hann. 10. Lib 3. 98.

Mac. 9 commemoratur illud quo Graeciae libertas data est Flaminini decretum; sed minus accurate ab Appiano redditur; vide Polybii verba: *Ῥωμαίων ἡ σύγκλητος καὶ Τίτος Κοΐντιος στρατηγὸς ὕπατος* et Appiani: *ὁ δῆμος ὁ Ῥωμαίων καὶ ἡ σύγκλητος καὶ Φλαμινῖνος ὁ στρατηγός*; porro Polybii: *ἀφιᾶσιν ἀφρουρήτους καὶ ἐλευθέρους καὶ ἀφορολογήτους νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις Κορινθίους* etc., et Appiani verba: *ἀφιᾶσι τὴν Ἑλλάδα ἀφρούρητον ἀφορολόγητον ἰδίοις ἤθεσι χρῆσθαι.* Appiano non verba genuina Polybii ad manus fuisse videntur, sed e memoria fortasse attulit; quo fit, ut Polybii sollemnia vocabula minus sollemnibus mutaverit.

Denique consules etiam *πρόβουλοι* ab Appiano appellantur, vide Mithr. 56: Mithridates duces enumerans, qui iniuria se affecerint, vocat *πρέσβεις* (legatos) *στρατηγοὺς* (praetores) *προβούλους*, quo vocabulo certe consules significat; quod comprobatur altero loco: (Mithr. 67) *οὐκ ἐπαγόντων αὐτὴν* (legationem Mithridatur) *ὡς ἐν ἀσχολίᾳ τῶν προβούλων ἐπὶ τὸ κοινόν,* nam consulum erat in senatum introducere. Fortasse a Dionysio (IV. 76 V 1) hanc extraordinariam consulum denominationem petiit Appianus.

Photius Memnonis Heracleotae locum servavit, quo Scipio appellatur in epistula ad Heracleenses scripta *Σκιπίων στρατηγὸς ἀνθύπατος Ῥωμαίων;* quam appellationem falsam esse apparet, sive Lucium, sive Publium Cornelium Scipionum intellexit scriptor; (utrumque enim confundit hoc loco) illud vocabulum *ἀνθύπατος* vitio videtur positum pro *ὕπατος*, aut a Memnone ipso, aut a Photio in Memnonem falso illatum [1]).

σμικρότεροι ὕπατοι quos Dio commemorat (48. 35) e sermone vulgari sui temporis suscepti sunt [2]).

Zonaras enarrat (Dionem secutus) consules olim praetores appellatos esse, (VII 19: *τότε* ($^{305}/_{449}$) *γὰρ λέγεται πρῶτον ὑπάτους αὐτοὺς προσαγορευθῆναι στρατηγοὺς καλουμένους τὸ πρότερον* [3]).

Ioannes Antiochenus nomen consulum ita explicat: (fr. 37 ed Müller) *ἐντεῦθεν ἐγένοντο τὸ β κονσοῦλοι, οὓς Ἕλληνες ὑπάτους διὰ τὴν ὑπεροχὴν ἐκάλεσαν* (ab eo descripsit Suidas s. v.).

Lydum consulem interpretari *κρυψίνουν* satis est commemorasse (de mag. I. 30).

Graecos igitur rerum Romanorum scriptores legitimum sermonem secutos esse in consulibus appellandis iam

---

1) cf. Viereck, sermo graecus p. 70. ad. 3.

2) cf. Mommsen, St. R. II 92 ad. 8.

3) cf. Mommsen, St. R. II 75 ad. 1.

apparet. Polybius quidem, cuius temporibus graecae denominationes magistratuum nondum diuturno usu sensum acceperant omnino certum et firmum, etiam *στρατηγὸν* consulem contra genus sollemne dicendi appellabat, apud posteros vero hoc fieri non poterat, quare omnes praeterquam si Polybium secuti sunt, legitimum vocabulum *ὕπατος* adhibuerunt et ab eo nova derivarunt verba *ὑπατεύειν, ὑπατεία, ὑπατικός;* quae primus Dionysius usurpasse videtur, qui e sermone vulgari sui temporis eas accepit; nam in sermonem legitimum non prius quam altero p. C. saeculo venerunt.

Iam pauca hoc loco addere mihi liceat. Interregem scriptores plurimi verterunt *μεσοβασιλέα*, (Dionys. II 57 IX 14. Dionys. 39. 31) Dionysius etiam *ἀντιβασιλέα* (IX. 69 *τοὺς καλουμένους ἀντιβασιλεῖς ἑλόμενοι*) Appianus *τὸν καλούμενον μεταξὺ βασιλέα* (l. c. I. 98) vel *τὸν ἐν τοσῷδε βασιλέα.* tribuni militum consulari potestate ab omnibus *χιλίαρχοι* appellantur (cf. Dionys. XI 60 *χιλίαρχοι ἐξουσίαν ἔχοντες ὑπατικὴν* et Plut. Cam. 1. *χιλιάρχους δὲ χειροτονοῦντος . . . ὧν καίπερ ἀπ' ἐξουσίας καὶ δυνάμεως ὑπατικῆς ἀναπραττόντων ἧττον ἦν ἐπαχθὴς ἡ ἀρχὴ διὰ τὸ πλῆθος*).

Lictores graece appellari solent *ῥαβδοῦχοι.* (Dionys. V. 9. Plut. Caes. 21. Dio. 42 7. App. b. c. V. 41). Praeterea leguntur hae denominationes: *ῥαβδοφόροι* apud Polybium, Plutarchum (Lucull. 36) Nicolaum Damascenum (v. C. 101. 22), *ῥαβδονόμοι* apud Polybium (X. 32. 2) Plutarchum (Aemil. 32). Appianus interdum eos interpretatur *τοὺς τὰ σημεῖα τῆς ἀρχῆς φέροντας* (b. c. IV. 18) vel *σημείους* (b. c. V. 76).

Denique pauca addam de triumphi vocabulis graecis. Triumphus graece *θρίαμβος* appellari solet [1]), iam a Polybio (*θρίαμβον ἄγειν* I. 88. 7. *κατάγειν* X I. 33.7. *εἰσάγειν* IV. 66.

---

1) De origine vocis vide Varronis de l. l. VI. 68. Plut. Marc. 22. Lyd. de mens. I. 3.

8. *θριαμβεύειν* VI. 53. 7. *θριαμβικός* XXV. 2. 1.) *θρίαμβον ἄγειν* Graecis ante Polybii aetatem alienum erat [1]).

Diodorus eadem adhibet vocabula. Dionysius triumphum explicat *τὴν ἐπινίκιόν τε καὶ τροπαιοφόρον πομπήν, ἣν καλοῦσι Ῥωμαῖοι θρίαμβον* (II. 34). Ovationem appellat *ὄαν* (*τὸν ἐλάττονα θρίαμβον ἀπέδοσαν, ὃν αὐτοὶ καλοῦσιν ὤαν* VIII. 68), vel a graeco vocabulo derivat (*ἐν τῷ ἐλάσσονι καὶ ὑποδεεστέρῳ, ὃν καλοῦσιν εὐαστήν*).

Plutarchus vero non ab *ἐυασμῷ, ὥς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, τὸν θρίαμβον τοῦτον ὀνομάζεσθαι* affirmat, sed ab ovibus: *ὄβα δὲ τὰ πρόβατα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. ἐκ τούτου καὶ τὸν θρίαμβον ὄβαν ὠνόμασαν.* Alio loco scribit *ὀούαν* ovationem et interpretatur eam *πεζὸν θρίαμβον* (Crass. 11). Monumenti Ancyrani interpres triumphum ita exprimit: *ἐφ' ἅρματος ἐθριάμβευσα* et ovationem: *ἐπὶ κέλητος ἐθριάμβευσα* (II 9). Appianus praeter *θριαμβεύειν* (*ἐπί τινι* Lib. 65 *ἀπό τινος* Gall. 4. 1) adhibet *θριαμβεύεσθαι* (Mithr. 105) *διαθριαμβεύειν* (Lib. 135) *θρίαμβον θριαμβεύειν κατά τινος* (b. c. 46). Magnam vocabulorum varietatem praebet Dio; triumphus vertitur *πομπὴ*, (43. 42) *πέμψις τῶν νικητηρίων, νικητήρια* (43. 21) *ἐπινίκια* (49. 14), triumphum agere *ἐπινίκια πέμπειν* persaepe, *ἑορτάζειν* (51. 21) *διεορτάζειν* (43. 42) *θριαμβεύειν* (60. 30), *τὰ νικητήρια ἑορτάζειν* (55. 2) *ἐπινίκια ἄγειν* (50. 4). Quae vocabula ex sui temporis usu sumpsit, quo ducibus non triumphus sed insignia modo triumphalia (*ἐπινίκια, νικητήρια*) decernebantur. Ovationem Dio interpretatur *τὰ σμικρότερα ἐπινίκια.* Apud Zonaram, quae vocabula a Dione, quae a Plutarcho mutuatus sit discernere possumus: *θρίαμβον θριαμβεύειν* (X. 2) e Plutarchi vitis Pompeii et Caesaris sumpsit, *τὰ ἐπινίκια ἤγαγεν* (VIII. 17), *ἐπινικίων πομπὴ* (VII. 21), *τὰ νικητήρια* (VII 20) a Dione.

---

1) cf. Goetzeler, de Polyb. elocutione, diss. Erl. 1887. p. 18.

De dictatore et magistro equitum.

„Dictator“ a Graecis plerumque non in graecum sermonem vertitur, sed latino vocabulo vocatur *δικτάτωρ*; fortasse quia ab eo tempore, quo inter Graecos et Romanos consuetudine facta graecae appellationes magistratuum Romanorum fingebantur, usque ad Sullae aetatem dictator non dictus est; quare graecum dictatoris vocabulum non in usum publicum venit.

Itaque in titulis *δικτάτωρ* omnino disiungitur ab *αὐτοκράτωρ*, (qua voce a nonnullis scriptoribus dictator significatur) cf. titulum Caesari dedicatum: *ὁ δῆμος τὸν αὐτοκράτορα* (i. e. imperatorem) *Γάιον Ἰούλιον Καίσαρα ἀρχιερέα ὕπατον[γ̄] δικτάτορα τὸ δεύτερον*[1]), et alium titulum quo legimus: *Λεύκιος Κορνήλιος Σύλλας Ἐπαφρόδιτος δικτάτωρ ἐὰν αὐτῷ φαίνηται ἃς αὐτὸς αὐτοκράτωρ Στρατονικεῦσι . . . προσώρισεν*[2]).

Maiorem libertatem in dictatore appellando adhibuerunt scriptores; tamen latina vox (*δικτάτωρ*) apud hos quoque praevalet, ac mox graeco mox latino modo flectitur: Diodorus, Plutarchus, Dio latinam adhibent declinationem (*δικτάτωρος, δικτάτωρι*), Polybius, Dionysius, Appianus graecam (*δικτάτορος*).

Polybius dictatorem *δικτάτορα* appellat, ubi explanare vult quomodo dictator et consul inter se differant, (III. 87. 6. *ὁ δὲ δικτάτωρ ταύτην ἔχει τὴν διαφορὰν τῶν ὑπάτων*) ceterum vero *αὐτοκράτορα στρατηγόν* (III. 87. 6) et *αὐτοκράτορα* (III. 103. 4) eum interpretatur, ut quam habeat

---

1) Mitt. d. dt. arch. Inst. XIII. 169. cf. C.I.A. III 428, Dittenberger C.I.G. sept. 1835 etc.

2) Bull. de corr. hell. IX. 448. Appianum (b. c. I, 97 *Σύλλα ἡγεμόνος* vocabulo *ἡγεμών* reddidisse dictatorem Mommseno assentior (C. I. L. I. 168 Gesch. d. röm. Münzwesens p. 596), nam Appianus, si imperatorem intellexisset, *αὐτοκράτορα* Sullam appellasset.

potestatem in bello gerundo dictator, graecis lectoribus explicet[1]). Posteriores scriptores a Polybio receperunt hoc vocabulum, veluti Diodorus[2]), Dionysius[3]), Appianus[4]), qui vero omnes etiam legitimam appellationem (*δικτάτωρ*) usurpant, quam solam adhibent Plutarchus et Dio Cassius.

Formulae illae, quibus dictatoris officia accuratius definiuntur (rei gerundae causa, seditionis sedandae causa) a Graecis plerumque non redduntur, raro tamen inveniuntur: cf. Dionys. VIII. 90 *δικτάτωρ ἀρχαιρεσιῶν ἕνεκα* (comitiorum habendorum causa), *αὐτοκράτωρ τοῦ πολέμου* vel *κατὰ τὸν πόλεμον* (Diod. XIX 72, XII 64) rei gerundae causa), *δικτάτωρ ἐπὶ θέσει νόμων καὶ καταστάσει τῆς πόλεως* (App. b. c. I. 99) (dict. legibus scribundis et reipublicae constituendae).

Praeterea scriptores imperatoriae aetatis dictatorem saepe *μόναρχον*, *βασιλέα* similiter nominant, cf. Dionys. V. 73. *οὗτος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη . . . ἔστι γὰρ αἱρετὴ τύραννις ἡ δικτατορία*; sequentibus versibus romanos dictatores ad exemplum graecorum aesymnetarum[5]) institutos esse affirmat; etiam *ἰσοτύραννον ἀρχὴν* dictaturam appellat[6]). Similia apud alios scriptores invenimus verba; vide Plutarchum (Fab. 4, *τυραννικὸν καὶ μέγα τῆς ἀρχῆς*), Appianum (b. c. I. 3 *τύραννος αὐτοκράτωρ*, *μόναρχος*), Zonaram (VII 13 *ἠδύνατο δὲ πάντα ἐξ ἴσου τοῖς βασιλεῦσι*), Ioannem Antiochenum (fr. 45 ed. Müller: *ἰσοτύραννον εἶχε τὴν*

---

1) Consules appellat Polybius (VI. 2. 15) *σχεδὸν αὐτοκράτορας*.

2) XIX. 76. *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* XIX. 101. *αὐτοκράτωρ*.

3) VII. 56: *δικτάτωρ ὃς αὐτοκράτορι καὶ ἀνυπευθύνῳ χρώμενος ἐξουσίᾳ*; V. 73 *οὗτος πρῶτος ἐν Ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου τε καὶ εἰρήνης καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. ὄνομα δ' αὐτῷ τίθενται δικτάτορα.* Etiam latinos dictatores vocat Dionysius *στρατηγοὺς αὐτοκράτορας* (III. 34) et *δικτάτορας* (V. 74).

4) App. b. c. I. 99.

5) cf. Mommsen St. R. V. 724 ad 2: Die aristotelische Definition der *αἰσυμνητεία* als einer *αἱρετὴ τύραννις* . . . wird mit vollem Recht von Dionysius auf die römische Dictatur übertragen.

6) cf. Mommsen St. R. II. 703 ad 3.

ἐξουσίαν), Malalam (IX 215 ed. Dindorf: *δικτάτωρ ὅ ἐστι μονάρχης*).

Nomen dictatoris alii a verbo dicere derivant (cf. Dionys. V. 73; Plut. Marcell. 24) alii ab edicto.

Dictatorem esse Graeci vertunt *δικτατορεύειν*, quae vox apud Dionysium primum occurrit (XIV. 6. etc.) postea apud Dionem (43, 1; 49) et alios.

Dictatura est *δικτάτορος ἀρχή* (Dionys. VI. 33), *δικτατορία* (Dionys. V. 73, Plut. Fab. 3), *δικτατωρεία* (Dio. 42, 21; 40, 46), *δικτατούρα* (Lyd. de mag. I 38). porro *ἡγεμονία* (Zon. VII. 14), *αὐτοκράτωρ στρατηγία* (Dionys. V. 76), *μοναρχία* (Plut. Caes. 37). *αὐτεξούσιος ἀρχή* (mon. Anc. III. 1.)

„Dicere" dictatorem scriptores vertunt vulgaribus eligendi formulis: *δικτάτωρ ἀποδείκνυται, προχειρίζεται* etc.; verbotenus expresserunt illud „dicere" Dio (*δικτάτωρα λεχθῆναι* 40, 45; 50) et Zonaras (VII. 25 *δικτάτωρ ἐλέχθη*, VII. 14. *ἐῤῥήθη*).

Minucium Fabii collegam Lydus (de mag. I. 38) vocat *ἀντιδικτάτωρα*, Polybius *σύναρχον* (III. 88 f.).

Ceterum magister equitum graece *ἵππαρχος* nominatur, vel etiam *ἱππάρχης*; illam vocem usurpant Diodorus (XIX 76), Plutarchus (Anton. 8), Dio (fr. 29), Iosephus (XIV. 10. 7). Appianus (Hann. 12), hanc Polybius (III. 87), utramque Dionysius (XII 2, V 75) et Lydus (de mag. I 14, 37). Munus magistri equitum dicitur *ἱππαρχία* (Dio. 45. 6). De potestate magistri equitum disserunt Plutarchus (Anton. 8 *ἔστι δὲ ἡ ἀρχὴ δευτέρα τοῦ δικτάτωρος παρόντος, ἂν δὲ μὴ παρῇ πράτη καὶ μόνη σχεδόν*) et Polybius (III. 87. 9. *οὗτος δὲ τέτακται μὲν ὑπὸ τὸν αὐτοκράτορα, γίνεται δ' οἱονεὶ διάδοχος τῆς ἀρχῆς ἐν τοῖς ἐκείνου περισπασμοῖς*).

Ergo legitimum dictatoris nomen semper fuit latinum, scriptores vero omnes hoc vocabulum alienum aliis vocibus plus minusve aptis interpretari conati sunt.

De praetoribus.

Praetoris legitima et maxime pervulgata graeca appellatio est *στρατηγός*; quae fortasse verbotenus accommodata est ad latinam; nam et *στρατηγός* et praetor significat ducem belli [1]. Antiquissima huius denominationis exempla his in titulis inveni:

1) in decreto Lampsaceno anno $^{558}/_{196}$ facto *στρατηγός* (propraetor) et *στρατηγὸς ὕπατος* (proconsul) discernuntur [2].

2) in epistula M. Valerius praetor peregrinus ($^{561}/_{193}$) *στρατηγόν* se appellat [3].

3) in S. Cto. de Thisbaeis anno $^{584}/_{170}$ facto *στρατηγός* (praetor urbanus) opponitur *ὑπάτῳ* [4].

Recentiori tempore praetor semper *στρατηγός* nominatur; rarissimi sunt tituli, quibus adest vocabulum *πραίτωρ*: *πραίτωρ ἀποδεδειγμένος* [5], *πραίτωρ πολιτικός* [6] *πραίτωρ καὶ πρεσβευτής* [7], *πραίτωρ* [8].

Στρατηγικός (praetorius) reperitur iam in titulo anno $^{625}/_{129}$ conscripto [9], et postea saepe; *πραιτώριον* semel modo in titulis inveni [10].

Verbum *στρατηγεῖν* in sermone legitimo haud saepe ad praetorem significandum adhibetur; adest in foedere a Romanis cum Thyrraeis pacto: *στρατηγοῦντος κατὰ πόλιν* [11].

Praetor urbanus in titulis verti solet *στρατηγὸς κατὰ πόλιν* [12]; *στρατηγὸς οὐρβανός* in titulo secundi p. C. saeculi nominatur [13].

---

1) cf. Mommsen St. R. II. 74 ad. 2. 2) Dittenberger, sylloge 200. 3) Ditt. syll. 204. 4) Ditt. syll. 226. 5) Bull. de corr. hell. VII. 20. 6) C.I.A. III. 630. 7) Wood, inscriptions from the side of the temple of Diana no. 14. 8) Dittenberger, C.I.G. sept. 1866. 9) Ditt. sylloge 287. 10) Sterrett, the Wolfe expedition to Asia minor No. 19 cf. etiam Eckinger, Orthographie latein. Wörter in griech. Inschriften, München 1890, p. 79. 11) Bull. de corr. hell X. 165. 12) C.I.G. 2485. 2905 f. C.I.L. I. 203. Bull. de corr. X. 165 etc. 13) C.I.G. 2409.

Praetor inter peregrinos est *στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ξένων* iam in epistula a Q. Fabio Maximo ad Dymaeos scripta altero a. C. saeculo; fortasse *πραίτωρ πολιτικός*, si recte litterae sunt suppletae [1].

Primis vero temporibus praetor, urbanus et peregrinus propriis verbis non discernuntur, nam M. Valerius praetor peregrinus ($^{561}/_{193}$) et Q. Maenius, praetor urbanus ($^{584}/_{170}$) *στρατηγοί* nude denominantur.

Etiam propraetorem Graeci initio non verbo proprio expressisse videntur [2]; nam L. Quinctius Flamininus, Titi frater, praetor urbanus anno $^{555}/_{199}$, cui imperium in annos sequentes prorogabatur, in decreto Lampsaceno ($^{558}/_{196}$) *στρατηγός*, non *ἀντιστρατηγός* appellatur.

Postea quidem denominatio *ἀντιστρατηγός* omnino a Graecis recepta est, ante aetatem vero Caesarum haud saepe versatur in titulis [3]; tum autem saepissime legitur, coniuncta cum vocabulo *πρεσβευτής* et aliis (*πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστρατηγός, ταμίας καὶ ἀντιστρατηγός*), de quibus infra dicemus.

Στρατηγὸς ἀνθύπατος i. e. praetor pro consule occurrit in titulis Deli repertis [4], quorum tempus incertum est. Cum haec accurata denominatio etiam latinis in titulis raro occurrat, et graeca inventa non sit, nisi Delo in insula, Reinachius [5]) hoc factum esse coniecit, quia Deli, ubi semper magnum Romanorum commercium erat, etiam magistratus Romani optime incolis noti fuerint. Aliis in titulis prae-

---

1) C.I.A. III. 630. — C.I.G. 1543; porro C.I.L. I. 203, Bull. X. 165 etc.

2) Vide quae de *ἀνθυπάτου* nomine supra exposui.

3) *Γναίου Αὐφίδιου . . . τὸν ἀντιστρατηγὸν* propraetorem Asiae intellegendum esse Waddingtonius (fastes des prov. Asiat. No. 6) explicavit recte contra Boeckhium (ad C.I.G. 2349. 6) qui proconsulem hunc virum fuisse affirmavit).

4) Bull. de corr. hell. VIII. 119; IX. 380; XI. 271.

5) Bull. IX. 382.

tor pro consule minus accurate nominatur *στρατηγός*[1]) vel *ἀνθύπατος*[2]).

Praetores pro consule fuisse etiam C. Fannius et Iulius Gaius videntur, qui apud Iosephum (antt. Iud. XIV. 10. 15; XIV. 10. 8) appellantur *στρατηγοὶ ὕπατοι*[3]); nam cum Fannius mox *στρατηγὸς ὕπατος* mox *ἀντιστρατηγός*[4]) (Ios. XIV. 10. 13) vocetur, verum eius titulum esse *στρατηγὸν ἀνθύπατον* ego quidem putem.

Restat ut de scriptoribus agamus; quorum gravissimus est Polybius, quia novam in titulis non repertam affert praetoris appellationem, scilicet *στρατηγὸν ἑξαπέλεκυν*.

ἑξαπέλεκυς στρατηγός legitur III. 106. 6. XXXIII. 1. porro omisso *στρατηγῷ* nude *ἑξαπέλεκυς* II. 23. 5. III. 40. 11. III. 56. 6. II 24. 6. III 40 14 *ἑξαπέλεκυς ἀρχὴ* (praetura) III. 40. 9. Quae omnia sunt exempla huius vocabuli. At certe Polybium praetores commemorasse multo pluribus locis apparet; ac profecto libros perlegentes aliis locis praetorem *στρατηγόν* appellari invenimus; quaeritur qua ratione Polybius adhibeat utrumque vocabulum.

Si legimus libro II. 23. 5: *Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστειλαν ὡς ἐπ' Ἀριμίνου . . . ἕνα δὲ τῶν ἑξαπελέκων εἰς Τυῤῥηνίαν*, II. 24. 6: *τούτους μὲν ἀθροίσαντες (οἱ ὕπατοι) ὡς ἐπὶ Τυῤῥηνίας προεκάθισαν ἑξαπέλεκυν αὐτοῖς ἡγεμόνα συστήσαντες*. III. 40 9. *ὧν εἷς*

---

1) *στρατηγός*: Waddington No. 409. Jerusalem, Wiener Studd. 1879 p. 32.

2) Wadd. fastes p. 45. Bull. de corr. hell. IX. 449; cf. Mommsen, St. R. II. 648 ad. 1. Plutarchus (Aem. Paull. 4) praetorem pro cos. ita interpretatur: *ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς οὐχ ἕξ ἔχων πελέκεις ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα.*

3) cf. Mommsen, ephem. epigr. I. 225 et quae contra eum disputat Viereck, p. 70.

4) *ἀντιστρατηγός* legendum esse, non *ἀρχιστρατηγός*, puto; neque enim *ἀρχιστρατηγός* vocabulum de Romano magistratu adhibitum usquam invenitur in sermone legitimo.

μὲν Γαίος Λουτάτιος καὶ τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφώς. οἱ δὲ δύο τὴν ἑξαπέλεκυν, hanc vocem iis locis adhibuisse Polybium perspicimus, ubi intererat praetorem et consulem distingui; quae res ceteris quoque locis comprobatur: XXXIII. 1. de senatu a Postumio praetore habito ita refertur: *ὧν ποιησαμένων λόγους . . . τὴν δ᾽αἰτίαν ἔσχε . . . Αὖλος Ποστούμιος στρατηγὸς ἂν ἑξαπέλεκυς καὶ βραβεύων τὸ διαβούλιον.*, scilicet Polybius praetorem tum, non consulem (*στρατηγόν* vel *ὕπατον*) ut fieri solebat, senatum habuisse praecipue exprimere vult; etiam alio loco (III. 106. 6) *ἑξαπέλεκυς στρατηγός* ex adverso ponitur *στρατηγοῖς* i. e. consulibus.

At ubi commutatio consulis et praetoris fieri non potest, Polybius praetorem breviter *στρατηγόν* appellat; velut III. 85. 7. quo loco enarrat praetorem cladem Trasimenam populo edixisse [1]); cum enim ambo consules extra urbem essent, in vocabulo *στρατηγός* nonnisi de praetore cogitari poterat. Etiam illi, qui commemorantur VII. 3. 1 (*ὁ τεταγμένος ἐπὶ Λιλυβαίου στρατηγὸς Ῥωμαίων*) XXXVI. 5. 8 (*ἐπὶ τῆς Σικελίας τετάχθαι στρατηγὸν*) *στρατηγοί*, praetores sunt; neque enim his locis plenius praetoris nomen necessarium erat, quia addita provincia praetores hos viros esse elucebat. Postremo addam praetorium a Polybio versum esse *τοῦ στρατηγοῦ σκηνή, στρατήγιον* (VI. 27. 1).

Propraetor est *ἀντιστρατηγός* (VIII. 5. 1 [2]); aliis vero locis *ἀντιστρατηγός* non hoc certo sensu adhibetur, sed mox ad proconsulem (XXVIII. 3. 1) mox ad legatum significandum (III. 106. 2 [3]); XV. 4. 1): *Πόπλιος καταλιπὼν Βαίβιον ἀντιστρατηγόν* [4]). M. Silanum propraetorem minus accurate Polybius vocat *συνάρχοντα* Scipionis (X. 6. 7).

---

1) cf. Liv. XXII. 7. 8.
2) cf. Liv. XXIV. 27.
3) cf. Mommsen St. R. II. 678. ad 1.
4) cf. Mommsen St. R. II. 681 ad 4.

Praetor classi praefectus est ὁ ἐπὶ τοῦ ναυτικοῦ στρατηγός (XXI. 46. 3). Hoc esse legitimum nomen ex titulo [1]) apparet, quo commemoratur στρατηγὸς τῶν Ῥωμαίων ὁ ἐπὶ τῶν ναυτικῶν. Vocabulum graecum ναύαρχος Polybius ad alienarum tantummodo gentium praefectos navales notandos adhibet, velut Carthaginiensium (IX. 9), Rhodiorum (XV. 2. 6); ceteri vero scriptores, haud ita accurate Romanos et alienos classium praefectos disiunxerunt, sed etiam Romanos ναυάρχους appellarunt, velut Plutarchus (Cat. min. 54) Appianus (b. c. V. 84) Dio (fr. 39 ed Dind.) alii.

Imprimis apud Polybium notabilis est vox illa ἑξαπέλεκυς, qua latinum vocabulum „sexfascalis" scriptor vertere videtur [2]). In sermone quidem legitimo „sexfascalis" ante aetatem imperatoriam non invenitur, fortasse vero in sermone vulgari iam antea floruit. Ergo Polybius, vocabulum quaerens, qua praetorem a consule discerneret et Graecis suae aetatis potestatem praetoris quam optime declararet, e sermone vulgari prompsit illud latinum vocabulum sexfascalis et verbotenus in graecam linguam vertit; qua in re proprium huius vocabuli sensum neglexit, et appelative ἑξαπέλεκυν nominavit etiam praetorem urbanum [3]). Hoc graecum vocabulum a Polybio usurpatum neque in linguam transiit legitimam [4]), neque a scriptoribus aliis usurpatur, praeter illos, qui a Polybio descripserunt, imprimis a Dio-

---

1) Mitt. d. dt. arch. Inst. VI. 96.

2) cf. Mommsen, St. R. II. 197 ad 5; ephem. epigr. I. 224.

3) cf. Madvig, Verf. u. Verw. d. röm. St. I. 393: Polybius hat XXXIII. 1. die einmal von ihm nach dem Verhältnis in den Provinzen das seine griechischen Leser am besten kannten, angenommene Benennung στρατηγός ἑξαπέλεκυς auf den praetor urbanus übertragen, den er dadurch allein den Consuln gegenüberstellt. cf. Mommsen, St. R. I. 385. Ceterum alio loco (XXXV. 2) praetor urbanus legitime appellatur στρατηγὸς κατὰ πόλιν.

4) ἑξαπέλεκυς nullo in titulo versatur; sed latinum nomen: quinque fascalis, sexfascalis in sermone legitimo imperatoriae aetatis vertitur πρὸς ε̄ ῥαβδους etc.

doro. Qui Ti. Gracchum propraetorem pro consule Hispaniae[1]) *ἑξαπέλεκυν στρατηγόν* appellat; ergo, cum praetores plurimi Hispaniarum his temporibus imperium consulare et duodecim fasces haberent[2]), omnino appellative adhibitum esse vocabulum *ἑξαπέλεκυς* apparet. Aliis locis Diodorus praetorem etiam *στρατηγόν* nominat cf. XXXVI. 3. *τότε κατὰ τὴν Σικελίαν ὢν στρατηγὸς Λικίνιος Νέρουας.* XXXIV. 2. 17. *ἐκ Ῥώμης ἥκοντι στρατηγῷ Λευκίῳ Ὑψαίῳ* scil. ad bellum cum servis gerendum; XXIX. 14 *Μάρκος Φόλουιος στρατηγὸς* est M. Furius Crassipes praetor (cf. Liv. XXXIX. 3).

Quibus ex exemplis cognoscimus Diodorum *ἑξαπέλεκυν στρατηγόν* praetorem appellare iis tantummodo libris, quibus Polybium sequi poterat, i. e. usque ad annum $^{608}/_{146}$; postremus igitur, qui ita appellatur, est Plautius praetor anno $^{606}/_{148}$, sequentibus vero libris *ἑξαπέλεκυς* non reperitur.

Praeter Diodorum soli vocabulum *ἑξαπέλεκυς* afferunt Themistius (*περὶ ἀρχῆς* VIII. 34: *τὴν ἑξαπέλεκυν ἦρχεν ἀρχήν*) et Appianus[3]), uterque uno tantummodo loco.

Ceteri vero scriptores, quamquam nonnulli praetores latine sexfascales appellari commemorant (App. Syr. 15; Dio 53. 13) omnes non *ἑξαπέλεκυν* sed *στρατηγόν* praetorem vertunt, neque enim illa extraordinaria appellatio apud eos necessaria erat; Polybium quidem, cum consules *στρατηγούς* appellaret, praetorem alio modo significare oportebat, posteri vero, qui consulem semper *ὕπατον* nominabant, *στρατηγόν* breviter praetorem dicere poterant.

---

1) cf. Wilsdorf, fasti Hispaniarum provinciarum (Leipziger Studien 1878); etiam Memmius et Plautius (XXXI. 42, XXXIII 2) Hispaniae praefecti *στρατ. ἑξ.* appellantur.

2) cf. Mommsen, St. R. II. 647.

3) App. Syr. 15: *στρατηγοὺς οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας* quod vocabulum a Polybio Appianum mutuatum esse verisimillimum est.

οἱ κατὰ πόλιν στρατηγοί, quos Diodorus (XXXI. 9. XXXVI 2) vocat, sunt praetor urbanus et peregrinus. Illud „*κατὰ πόλιν*" minus legitimum est; publico enim sermone solus praetor urbanus ita significatur. Eodem modo Appianus (b. c. III. 2) *ἀστικοὺς στρατηγούς* appellat Brutum praetorem urbanum et Cassium praetorem peregrinum; fortasse etiam *οἱ κατὰ πόλιν στρατηγοί*, qui apud Dionysium leguntur (XX 5) huc referendi sunt.

Praetorius apud Diodorum (XXVI. 8) et Dionysium (XIII. 2), est *ἀνὴρ στρατηγικός*, quam vocem nondum adhibet Polybius.

Plutarchus praetorem semper *στρατηγόν* nominat. Non minus saepe quam substantivo *στρατηγός* Plutarchus verbo *στρατηγεῖν* utitur (Aem. 4; Mar. 40; Sull. 5.) neque vero *ἑξαπέλεκυν* de praetore adhibet, quamquam sex secures eum habere, certe scit (cf. Aem. 4). Praetorius est *στρατηγικός* (*στρατηγικὰ κόσμια* insignia praetoria, Ant. 17) vel *στρατηγηκώς* (Brut. 35); praeturam vertit *στρατηγίαν* [1]), (Flam. 2; Mar. 5), urbanam *πολιτικὴν καλουμένην στρατηγίαν* (Brut. 7); peregrinam cum exprimere nequeat, aliis verbis significat: *Βρούτῳ δὲ τὴν πρώτην δοτέον* . . . (pr. urb.) *ἀπεδείχθη δὲ Κάσσιος ἐφ' ἑτέρᾳ στρατηγός* (pr. per).

Dio substantivo *στρατηγός* haud saepe utitur, immo vero verbum *στρατηγεῖν* omnino praefert; etiam praetorium saepius *ἐστρατηγηκότα* (37. 37, 43. 48, 58. 12 etc.) quam *στρατηγικόν* (60. 8) denominat; praeturam vertit *στρατηγίαν*, uno loco *στρατείαν* (quae vox ad exemplum *βουλείας* ficta est 72. 14: *Κλέανδρος ἐπώλησε βουλείας, στρατείας, ἐπιτροπείας*). Ut praetorem urbanum [1]) significet, Dio vocem usurpat hoc sensu antea non adhibitam, scilicet *ἀστυνόμος*; nonnunquam addito vocabulo *στρατηγός* (46, 45) plerumque

---

1) Fortasse huc referendi sunt *οἱ στρατηγοὶ οἱ πάνυ* (78. 12) cf. Mommsen II. 98 ad 1.

vero omisso; praeterea persaepe legitur *ἀστυνομεῖν*. Praetura urbana est *ἀστυνομία* fere semper, raro *στρατηγία ἡ οἴκοι* (36. 41).

Vocabulum *ἀστυνόμος* cum neque in titulis neque apud ullum alium eorum qui ante Dionem historiam Romanam enarrabant scriptorum, inveniatur, a Dione ipso ex Graecarum civitatium institutis ad Romanum magistratum translatum esse certe licet conicere. Dio enim, ut graecis lectoribus, quid intersit inter praetorem urbanum et praefectum urbis, quorum nomina facile confundi poterant, declaret, illum appellat *ἀστυνόμον* (pro legitimo *στρατηγὸς κατὰ πόλιν*) hunc *πολίαρχον* (pro sollemni *ἔπαρχος τῆς πόλεως*). Qua in re *ἀστυνόμον* graecum illum magistratum minime respondere praetori urbano neglegit [1], sed latinam appellationem verbotenus vertit. Praetorem peregrinum Dio vocat *ξενικὸν* (53. 2).

Lydus cum praetorum nomina definit (de mag. I. 38) dicit haec: *πραίτωρ οἱονεὶ στρατηγὸς ὁ λεγόμενος οὐρβανὸς ἀντὶ τοῦ πολιτικός, ὁ λεγόμενος περεγρῖνος οἱονεὶ ξενοδόκης* (hoc vocabulum Lydus solus usurpat) et aliis locis latina voce (*πραίτωρ*) interdum utitur (cf. I. 45). Plane confuse loquitur de praetore urbano: de mens. I. 19.

Ergo *στρατηγόν* omnibus temporibus legitimam fuisse praetoris graecam appellationem demonstrasse mihi videor; quare reicienda puto, quae affert Wannowski [2]) de praetura: „Verum haec appellatio (scil. *ἑξαπέλεκυς*) tantummodo praetorem rei publicae liberae denotat, unde factum est, ut, qui res imperatorum perscriberent, semper nomine *στρατηγοί* uterentur“. Immo vero *στρατηγός* omnibus temporibus legitima erat appellatio, vocabulum *ἑξαπέλεκυς* unus modo scriptor finxit sexfascalem latini sermonis vulgaris interpre-

---

1) Atheniensium *ἀστυνόμος* idem fere valet, quod Romanorum aedilis: curam enim forensem habuit.

2) Wannowski antt. Rom. e graecis fontibus explicatae p. 147.

tatus. Hoc quoque approbare non possum *στρατηγόν* quemlibet magistratum significare [1]; nam *στρατηγός* est aut legitimum nomen praetoris aut ducem belli in universum significat.

De tribunis plebis.

Tribuni plebis graece passim *δήμαρχοι* appellantur, quod nomen Neapoli Romam translatum esse demonstravit Mommsenus [2]; neque vero participii (*δημαρχήσας*) [3]) usum, qui proprius est linguae Campanae [4]), Romani susceperunt, sed substantivum semper in sermone legitimo adhibuerunt. *δήμαρχος* appellatur iam in epistula M. Valerii praetoris [5]) peregrini anno $^{561}/_{193}$ etc. Postea quoque vox *δήμαρχος* fuit in usu (cf. Theophil. paraphr. inst. I. 2. 32: *τριβοῦνος οὗτος δ᾽ἐστὶ ὁ δήμαρχος*), nam *τριβοῦνος* in titulo saeculi p. C. secundi [6]) solum huius latini nominis est exemplum quod inveni.

Verbum *δημαρχεῖν* in titulis nonnisi de magistratibus Neapolitanis adhibetur. *δημαρχικός* (tribunicius) reperitur aetate imperatorum: *ταχθεὶς ἐν δημαρχικοῖς, καταλεγεὶς εἰς τοὺς δημαρχικούς* [7]). „Tribunicia potestate" verbotenus vertitur *δημαρχικῆς ἐξουσίας* primum in monumenti Ancyrani versione graeca (II. 23), dein pervulgatum est.

---

1) Wannowski pro sua sententia locum affert Plutarchi (Cic. 13), ubi M. Othonem legem theatralem tulisse narrat scriptor *στρατηγοῦντα*, cum ab eo tribunatu fungente hanc legem latam esse constet; certe hoc verum est Roscium tribunum legem theatralem tulisse ($^{687}/_{67}$) cf. Dio 36. 42, Liv. ep. 99 Cic. Murena 19. 40) illa autem res, quam enarrat Plutarchus, Othonem in theatro a populo exsibilatum esse non hoc anno sed $^{694}/_{63}$ facta est, quo praetor erat Roscius (cf. Lange, Röm. Alt. III. 242).

2) Staatsrecht, III. p. 146.

3) cf. Kaibel, inscr. gr. It. et Sic. p. 190. sqq.

4) cf. Beloch, Campanien p. 8.

5) Dittenberger, syll. 204.

6) Dittenberger, C.I.G. sept. 1866.

7) Bull. de corr. hell. 1887 p. 212. XVI. 438.

Graeci, qui historiam Romanam descripserunt, omnes adhibent vocabulum δήμαρχος. Praeterea nonnulli, imprimis Dionysius, liberiores quasdam usurpant tribunorum interpretationes: προεστηκότες τοῦ δήμου (VII 38), προστάται τοῦ δήμου [τοῦ πλήθους] (VII 65, VIII 6), δημαγωγός (IX 38); Etiam Plutarchus nonnumquam tribunos δημαγωγούς appellat (Cor. 12. Lucull. 20 etc.).

Sacrosanctam potestatem tribunorum plerique interpretantur ἱερὸν καὶ ἄσυλον (Plut. Ti. Gr. 15; Dionys. VI. 89. App. b. c. I 28. Dio 44. 48); praeterea invenimus apud Dionysium haec vocabula: ἱερός (IX 1), ἱερὸς καὶ καθωσιωμένος (IX 48), παναγής (IX 44), ἱερὸς καὶ ἀνίκητος, apud Dionem: ἱεροπρεπής (56. 46), ἀδεὴς καὶ ἀνύβριστος (49. 38).

De censoribus.

Censor in titulis graecis τειμητής vocatur [1]), sed rarissima sunt exempla, cum quod censura erat magistratus ad solas res internas pertinens, tum, quod imperatorum aetate, qua sermo graecus in titulis frequentissimus est, censura mox abolita est; certe Claudius, Vespasianus, Titus, qui hunc magistratum ab Augusto cum consulatu coniunctum restituerunt, in titulis quos repperi τειμηταί appellantur [2]).

Saepius τιμητής apud scriptores legitur, apud Polybium (VI 13. 3; qui vero τιμητεία, τιμητεύειν, τιμητικός nondum adhibet) et omnes posteriores.

Ceterum hoc graecum censoris nomen non a graeco quodam magistratu sumptum est et Romam translatum, sed e munere censoris derivatum; (τιμητής) est is, qui censum habet, pecunias aestimat (τιμᾷ). τιμητικός (censorius) primum apud Dionysium (XII 9) legitur; τιμητεία apud Plutarchum primum (Crass. 13. Cat. mai. 16).

---

1) Bull. de corr. hell. VIII 133.
2) C.I.G. 3481. 4333. 5809. cf. Mommsen, St. R. II. 356 ad. 3.

τιμαρχία vero est cura legum et morum; quam Augustum habuisse Dio enarrat; (52. 21) etiam *τιμητεύοντα* eum appellat, (54. 16) quamquam Augustum nunquam censorem fuisse constat[1]). Immo vero ipse se *ἐπιμελητὴν τῶν νόμων καὶ τῶν τρόπων* nominat (Mon. Anc. III 16) et aliis locis Dionis recte ita significatur (54. 9; 28). *ὑποτιμητήν*, subcensorem ut instituat Augustus, Maecenas suadet in oratione a Dione ficta; hunc magistratum ex cogitatione et mente Dionis ortum esse apparet[2]).

De aedilibus.

Aedilem Graeci interpretantur *ἀγορανόμον*; quod nomen fortasse a Neapoli Romam venit; *ἀγορανόμοι* (*ἀγορανομήσαντες*) enim saepe in titulis Neapolitanis versantur. Cum aediles *ἀγορανόμοι* tum primum appellari possent, cum curam forensem susceperant, scilicet circa annum $^{387}/_{367}$, graecam appellationem post hoc tempus ortam esse apparet[3]). In titulis imperatoriae aetatis *ἀγορανόμοι* (*ἀγορονομοῦντες, ἀγορανομήσαντες*) saepe occurrunt[4]). Aedilem curulem Graeci cum exprimere nequirent *ἀγορανόμον κουρούλλιον*[5]) vel *αἰδίλην κουρούλην*[6]) appellabant.

ἀγορανόμος aedilis etiam ab omnibus scriptoribus vocatur (cf. Pol. III. 26. 1. X. 4. 6 Diodor. XX 36. Dionys. VII. 14. Plut. Lucull. 1. Dio 48. 32 etc.) Iam Plauto hoc nomen

---

1) cf. Mommsen, St. R. II 706.

2) cf. P. Meyer, de Maecenatis oratione a Dione ficta diss. Berol. 1891 p. 7: rationem habuisse scriptorem verisimile est praepositi a censibus inde a Domitiani temporibus ex equestri ordine electi cuius potestas cum usque ad Septimium Severum equitum tantum censum respiceret, ab illa aetate etiam ad senatores pertinebat legendos.

3) cf. Mommsen St. R. III 646 II 497 et Madvig I 422.

4) *ἀγορανομοῦντα* Eph. ep. II 82 *ἀγορανομήσαντα* Mitt. d. dt. Inst. XII 178.

5) C.I.G. 1133. 1327.

6) Mitt. d. dt. arch. Inst. VII 26.

notum erat[1]. Verbum *ἀγορανομεῖν* a Dionysio primo usurpatum apud posteros percrebruit.

Aedilem curulem scriptores aut latino verbo reddunt, velut Dio (*ἀγορανόμοι κουρούλιοι* 39. 22; 54. 3; 24), aut variis modis explicant, cf. Plut. Marc. 3: *ἀγορανόμος τῆς ἐπιφανεστέρας τάξεως; ἀγορανομία μείζων, ἐντιμότεροι* (Marius 5). Similiter Dio curulem significat *ἀγορανόμον ἐν τοῖς ἀμείνοσι* (53. 33), plebeium 47. 40 *ἀγορανόμον τὸν ἐκ τοῦ πλήθους;* aediles ceriales Dio commemorat 43. 51: *τέσσαρες δ'ἐκ τοῦ πλήθους, ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν.* Nomen aedilium Dionysius explicat hac ratione (VI 90): *νῦν μέντοι κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν ἀφ' ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται* (vertere videtur „curatores aedium sacrarum" ab Augusto institutos) cf. etiam Lyd. de mag. I 35. Theophilum denique (paraphrasis institut. I. 2. 60) aedilem interpretari ut „adilem", facile adeundum satis est commemorasse.

De quaestoribus.

Quaestori graecum nomen est *ταμίας*, quod aerarii administratorem significat et e graecis civitatibus in Romanum magistratum translatum est[2], fortasse ex italicis. quarum in titulis *ταμίαι* saepe occurrunt[3].

ταμίας quaestor Romanus appellatur in titulis inde a medio sexto a. u. c. saeculo, velut in decreto Lampsacenorum anno $^{558}/_{196}$ facto[4]; hebescente demum aetate latinum

1) cf. Captivi, IV. 2. 43: „Euge edictiones aedilicias pol habet hic quidem. Mirumque adeost ni hunc Aetoli sibi fecere agoranomum" quem in locum animum meum vertit Goetzius.

2) cf. Mommsen, Staatsrecht III. 646.

3) Kaibel, inscr. graec. It. et. Sic. 952. 423 (tituli Agrigentini. Tauromeniani).

4) Mitt. d. dt. archaeol. Instit. VI 96.

nomen graecis litteris scriptum nonnunquam invenimus *κουαίστωρ* [1]) *κυαίστωρ* [2]) *κοιαίστωρ* [3]) *κυέστωρ* [4]) quae exempla spectant ad tertium p. C. saeculum vel posteriora tempora neque ita crebra sunt.

Verbum *ταμιεύειν* usurpatur in titulis imperatoriae aetatis [5]).

Quaestor urbanus in titulis vertitur *ταμίας ὁ κατὰ πόλιν* [6]); *ταμίας Ῥώμης* non est quaestor urbanus, sed quaestor Romanus oppositus municipali [7]). Eodem sensu saepe additur *Ῥωμαίων* [8]).

ἀντιταμίας proquaestor primum nominatur Sullae in epistula [9]), deinde in titulo Lucullo dedicato [10]).

Aerarium Saturni, quod quaestores administrabant, est *αἰράριον τοῦ Κρόνου* [11]) vel *τὸ Ῥωμαίων αἰράριον* [12]) vel breviter *αἰράριον* [13]) et *ἐράριον* [14]); graecum quod scriptores usurpant vocabulum scil. *ταμιεῖον* in sermone legitimo de aerario non adhibitum esse videtur.

Scriptores quoque quaestorem *ταμίαν* appellant [15]).

De institutione et munere quaestorum referunt Zonaras (VII 13) et Lydus (de mag. I 25) qui mentionem facit etiam quaestorum parricidii: *κυαίστορες παρρικίδιοι ὡσανεὶ κριταὶ δικασταὶ τῶν πολίτας ἀνελόντων.*

ταμιεύειν quaestorem esse hoc sensu a Plutarcho primo usurpari videtur (Cat. mai. 3. Lucull. 37. etc.).

---

1) Bull. de corr. hell. VII 26. Mitt. d. arch. Inst. XIII. 241. 2) Ephem. epigr. IV. 223. 3) cod. Iustinian. I 15 (*κοιαίστωρ τοῦ θείου παλατίου*). 4) C.I.A. III. 1199. 5) CIG. 4957. Kaibel 751. C.I.A. 654. 6) Kaibel 951. Lebas, voyage arch. en Asie. min. III. 1627. Ios. arch. Iud. XIV. 10. 10. 7) Waddington fastes des prov. Asiat. p. 195. cf. Mommsen, St. R. II. 555 ad 2. 8) *ταμίας Ῥωμαίων* Dittenberger, sylloge 239. 9) Bull. de corr. hell. IX. 473. 10) Bull. VII. 298. Eph. epigr. I 151. 11) C.I.G. 4033. 4034. 4040. 12) C.I.A. III 47. 13) Ephem. epigr. V. 41. Mon. Ancyr. XVIII. 18. 14) C.I.G. 6627.

15) Polybius (XXX. 20) quaestorem urbanum breviter *ταμίαν* appellat; cf. Büttner-Wobst, de legationibus liberae reipubl. temporibus Romam missis p. 30 ad 4.

Ut aerarium significent, omnes scriptores non latinum nomen retinent, sed graeca vocabula adhibent, plerumque *ταμιεῖον* (Polyb. 23. 14. 5 [1]). Dionys. VIII 73. Plut. Popl. 12: *ταμιεῖον μὲν ἀπέδειξε τὸν τοῦ Κρόνου ναόν* [2]), sed etiam alia vocabula in usu sunt: *τὸ δημόσιον* (Pol. XI. 3. Dionys. II. 23. Plut. Cat. min. 17. Dio 71. 23), *τὸ δημόσιον ταμιεῖον* (Dionys. IX 15 App. b. c. V 67), *τὰ κοινά* (App. b. c. IV 62).

Praefecti aerarii Saturni, quos Nero instituit, in titulis vocantur *ἔπαρχοι αἰραρίου τοῦ Κρόνου* [3]), a Plutarcho evitata barbara hac voce *ἔπαρχοι τοῦ ταμιείου* (quaestt. Rom. 43).

Quaestores classicos Lydus (de mag. I 27) appellat: . . . *προεβλήθησαν οἱ καλούμενοι κλασσικοὶ (οἱονεὶ ναύαρχοι) τῷ ἀριθμῷ δυοκαίδεκα κυαίστωρες* [4]). cf. Dio 55. 4: *ταμίαν ἔν τε τῇ παραλίᾳ.*

De magistratibus minoribus.

Magistratuum minorum nomina cum pauca praebeant commemoratu digna, breviter modo tractabimus. Vigintiviri a Dione (54. 26) enumerantur:

1) Tresviri capitales: *οἵ τε τρεῖς οἱ τὰς τοῦ θανάτου δίκας προστεταγμένοι* [5]); qui etiam tresviri nocturni appellabantur cf. Lyd. de mag. I 50: *οἳ καὶ νυκτερινοὶ ἐκ τοῦ πράγματος ἐλέγοντο.*

2) Tresviri aere argento auro flando feriundo: *οἱ τρεῖς οἱ τοῦ νομίσματος κόμμα μεταχειριζόμενοι.* In titulis latina formula plus minusve accurate redditur: *τριῶν ἀνδρῶν κατασκευῆς χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ χαλκοῦ* [6]), *τριῶν ἀνδρῶν κατασκευῆς χρυσοῦ*

---

1) *ταμιεῖον* vero etiam „quaestorium" significat VI 13. 3.
2) *ταμιεῖον* etiam „quaesturam" significat (Cat. min. 17).
3) C.I.G. 4033. 4034. Bull. de corr. hell. VII. 26.
4) cf. Mommsen, St. R. II. 570.
5) cf. Mommsen, St. R. II 597 ad 5: „Es ist nur eine nicht ganz treffende Uebersetzung". 6) C.I.A. III 612.

συγχωνεύσεως καὶ χαράξεως[1], τριῶν ἀνδρῶν χαλκοῦ ἀργύρου χρυσοῦ χαρακτερίσαντος[2]), τρίανδρος μονητᾶλις[3]).

3) Quattuorviri viis in urbe purgandis et duoviri viis extra urbem purgandis: οἵ τε τέσσαρες οἱ τῶν ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελούμενοι . . . οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι. In titulis quattuorvir appellatur: δ̄ ἀνδρῶν ὁδῶν ἐπιμελητής[4]), βιόκουρος[5]), κουαττουόρουιρ[6]).

4) Decemiviri stlitibus iudicandis: οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῶν δικαστηρίων τῶν ἐς τοὺς ἑκατὸν ἄνδρας κληρουμένων ἀποδεικνύμενοι. In titulis reperiuntur hae denominationes: ἄρξας ῑ ἀνδρῶν ἀρχὴν ἐπὶ Ῥώμης[7]), τῶν δέκα ἀνδρῶν τῶν τὰ φονικὰ δικασάντων[8]), τῶν δέκα ἀνδρῶν τῶν ἐπὶ τοῖς πράγμασι[9]), πεντεκαιδέκανδρος τῶν ἐκδικαζόντων τὰ πράγματα[10]) vel latino nomine retento: δεκέμβερ[11]), δεκέμουιρ ἐπὶ τῶν κληρονομικῶν δικαστηρίων[12]).

5) Praefecti Capuam Cumas: οἵ τε τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι (Dio. l. c.).

Quinqueviri cis Tiberim in titulis semper vocantur κιστιβέρες[13]).

Tresviri (quinqueviri, decemviri) agris dandis adsignandis sunt: τρεῖς ἄνδρες ἐπὶ τὴν διάκρισιν καὶ διανομὴν (τῆς χώρας) (Plut. Ti. Gr. 13) τρεῖς αἱρετοὶ ἄνδρες ἐναλλασσόμενοι κατ' ἔτος διανέμειν τοῖς πένησι (τὴν χώραν) (App. b. c. I. 9) δέκα ἄνδρες ὁρισταὶ τῆς δημοσίας χώρας (Dionys. IX.

---

1) C.I.A. III 626. 2) Waddington 195. 3) Dittenberger C.I.G. sept. 89. 4) C.I.G. 2638. 4238 c. cf. Mommsen, St.R. II. 603 ad 4. 5) Ephem. epigr. IV 223; cf. „viocuros" quos appellat Varro. 6) Archaeol. Ztg. 43. p. 150. 7) Kaibel 719. 8) C.I.G. 1133. 1327. 9) C.I.G. 3990. 10) C.I.G. 4029. 11) Bull. de corr. VI 436. 12) Journal of hellenique studies IV. 416. 13) Kaibel, 1512 etc.

1) γεωμόροι (Dionys. IX 52. X 38). quae vox respondere videtur latinae: „agrarii“ [1]); item γεωνόμοι (Dio 38. 1).

De magistratibus extraordinariis.

Hoc loco disserendum nobis est de decemviris legibus scribundis et triumviris rei publicae constituendae.

Decemviri l. s. a Dionysio varie denominantur: *οἱ νομοθέται* (X 15; 57), *οἱ δέκα ἄνδρες*, (X 55) plurimis locis breviter *οἱ δέκα* [2]). Appius Claudius appellatur *προεστηκώς* (*ἡγεμών*) *τῆς δεκαδαρχίας*. Diodorus eos vocat *δέκα ἄνδρας νομογράφους* (XII. 23), Lydus: (de mag. I 34) *δέκα προεβάλετο ὁ δῆμος ἄνδρας ἀνθεξομένους τῶν πραγμάτων, ὧν ὁ πρῶτος τῆς πόλεως φύλαξ προσηγορεύθη, ὃ καθ' ἡμᾶς πολίαρχος*. Decemviratum appellant Zonaras (I. 18) *δεκαρχίαν*, Lydus (de mag. I. 34) *δεκανδρικὴν ἀρχήν*.

Triumviratus Antonii, Octaviani. Lepidi ab illo qui graecam monumenti Ancyrani versionem fecit. vertitur *ἡ τῶν τριῶν ἀνδρῶν ἀρχὴ ἐπὶ τῇ καταστάσει τῶν δημοσίων πραγμάτων* (I 12) et Augustus appellatur *τριῶν ἀνδρῶν δημοσίων πραγμάτων κατορθωτής* (IV 12). Antonius se nominat in epistula a se ipso scripta [3]) *τῶν τριῶν ἀνδρῶν τῆς τῶν δημοσίων πραγμάτων διατάξεως*, in epistula a Iosepho relata (arch. Iud. XIV 12. 5) *τριῶν ἀνδρῶν καταστάντων περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων*.

Scriptores nonnunquam latinam formulam (rei publicae constituendae) vertere conantur. cf. App. b. c. IV 7: *καινὴν ἀρχὴν ἐπὶ καταστάσει τῶν παρόντων ἐς πενταετὲς εἶναι*

---

1) „Agrarii“ nominantur apud Livium (27. 21. 10) cf. Nordström de institutorum Rom. vocabulis Dionys. Hal. quaestt. 1890. p. 72. sqq.

2) Dionysius praeterea decemviros appellat *ὀλιγάρχας* (XI 43) *αὐτοκράτορας* (X 58 *αὐτ. ἀρχή*) *στρατηγούς* (XI 32). Etiam Zonaras VII 18) *στρατηγοὺς αὐτοκράτορας* eos nominat.

3) C.I.G. 2737.

τριῶν ἀνδρῶν et Dio 46. 45: *οἱ τρεῖς πρός τε διοίκησιν καὶ πρὸς κατάστασιν τῶν πραγμάτων ἐπιμελητάς τέ τινας καὶ διορθωτάς* . . . plerumque vero breviter vocant eos *τοὺς τρεῖς* (App. b. c. IV 3. Plut. Ant. 21. Dio 47. 18). Appianus eos confert cum graecis *ἁρμοσταῖς; καινὴν ἀρχὴν . . . ἴσον ἰσχύουσαν ὑπάτοις . . . ἣν ἄν τις Ἑλλήνων ἁρμοστὰς ὀνομάσειεν* (b. c. IV. 7). Malalam (IX 218 ed. Dindorf) triumviros, cum *τριομβυράτορας* appellat, confundere apparet cum triumphatoribus.

De magistratibus ab imperatoribus institutis.

Primo loco de praefecto urbi agamus; quem Dionysius appellat *ἔπαρχον τῆς πόλεως* (IV 82 X 24 etc.) et a Romulo institutum esse enarrat (II 12). Postea cum praetores creabantur, praefecti urbi obsolescebant et tantummodo ad ferias latinas celebrandas eligebantur: cf. Dio. 47. 40. Vocabulum *πολίαρχος* (etiam *πολιανόμοι, πολιανομοῦντες* 43. 48 occurrunt) Dio ipse, ni fallor, primus ad magistratum Romanum significandum adhibuit, ut praefectum urbi[1]) melius discernere posset a praefecto praetorio (*ἔπαρχος*) et praetore urbano (*ἀστυνόμος*). Neque vero ceteri scriptores tam diligenter disiunxerunt hos magistratus sed vocabulum *ἔπαρχος* de praefecto urbi et de praefecto praetorio adhibuerunt, velut Herodianus (*ἔπαρχος τῆς πόλεως* II 8). Zosimus praefectum urbi semper *ὕπαρχον* nominat. Lydus mox *ὕπαρχον* (de mens. I 19, ubi cum praetore urbano eum confundit) mox *πολίαρχον* (de mag. I 49. II 19).

Sequitur ut de cura annonae agamus. Temporibus liberae rei publicae praeter aediles, qui rem frumentariam administrabant, nonnunquam extraordinarii frumenti curatores creabantur velut Pompeius anno $^{697}/_{57}$, qui a Dione nomi-

---

1) In titutis praefectus urbi appellatur *ἔπαρχος Ῥώμης* C.I.A III. 612.

natur ἐπιμελητὴς τοῦ σίτου (39. 9), ab Appiano τῆς ἀγορᾶς αὐτοκράτωρ (b. c. II 18). Postea Augustus curam annonae in se suscepit et praefectos frumenti dandi (vel curatores frumenti) instituit cf. Dio 54. 1. Loco eorum iam ab Augusto praefecti annonae substituti sunt; qui in titulis appellantur ἔπαρχοι εὐθηνίας[1]), ἐπιμεληταὶ εὐθηνείας[2]), εὐθηνίαρχοι[3]), ἀννονέπαρχοι[4]), a Dione (72. 13) οἱ ἐπὶ τοῦ σίτου τεταγμένοι.

Praeterea etiam Caesarum temporibus praefecti frumenti dandi occurrunt non ab imperatoribus instituti sed ex senatus consulto: ἔπαρχος σείτου δόσεως δόγματι συνκλητου[5]), ἔπαρχος τοῦ σειτηρεσίου τοῦ διαδιδομένου[6]).

Curatores aedium sacrarum et operum locorumque tuendorum ab Augusto instituti ordinem habebant consularem, quare in titulis ὑπατικοὶ τῶν ἱερῶν ναῶν (ἐπὶ τῶν ναῶν)[7]) significantur; curator operum publicorum vertitur ἐπιμελητὴς ἔργων δημοσίων τῶν ἐν Ῥώμῃ[8]). Curator aquarum publicarum est ἐπιτροπεύσας ὑδάτων[9]); curatores riparum et alvei Tiberis a Dione breviter commemorantur: (Tiberius) πέντε ἀεὶ βουλευτὰς κληρωτοὺς προσέταξε ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ποταμοῦ[10]).

Praefectus vigilum est ὁ ἔπαρχος ὁ νυκτοφυλακῶν (Dio 52. 33), ὁ τῶν νυκτοφυλάκων ἄρχων (Dio 58. 9), ὁ νυκτοφύλαξ (Dio 52. 24). Titulum, quo legitur στρατηγικὸς κοῶρτις δ̅ οὐιγίλων spurium esse Mommsenus demonstravit[11]).

Praefectus vehiculorum in titulis denominatur ἔπαρχος βεϊκούλων[12]) vel ἔπαρχος ὀχημάτων[13]).

---

1) Kaibel, 917. 1072. 2) C.I.G. 1186. 3) Bull. de corr. hell. XI. 92. 4) cod. Iustinian. I 44. 5) Kaibel 719. 6) C.I.A. III 629. cf. Hirschfeld, Röm. Verwaltungsgesch. p. 133 ad. 5. 7) Kaibel 993, 1026, 1045. 8) C.I.G. 4033, 4034. 9) Kaibel 911. 10) de magistratu, qui vocatur (C.I.G. 3991) ἐπίτροπος Καίσαρος πρὸς ὄχθαις Τιβέρεως cf. Mommsen St. R. II. 1050 ad. 2 et 1052. 11) C.I.G. 6662. cf. Mommsen, Ber. d. kgl. sächs. Akad. d. W. 1852 p. 257 sq. 12) C.I.G. 2509. 13) Mommsen, St. R. II. 1031 ad. 2.

Curatores viarum ab Augusto instituti a Dione vocantur ὁδοποιοί (54. 8), in titulis ἐπιμεληταὶ ὁδῶν [1]). Praefectorum aerarii militaris mentionem facit Dio (55. 25), in titulis hic magistratus ἔπαρχος ἐραρίου στρατιωτικοῦ appellatur [2]).

Iam ad praefectum praetorio adeamus. Qui nominatur in titulis: ἔπαρχος τοῦ πραιτωρίου [3]). (τῶν πραιτορίων) [4]) vel nude ἔπαρχος [5]); inde a Diocletiani temporibus etiam ὕπαρχος πραιτωρίων [6]) et ὕπαρχος [7]).

Scriptores vero nomen latinum (πραιτωρίων etc.) non adhibent, sed praetorianos vertunt δορυφόρους, σωματοφύλακας; illo vocabulo imprimis Dio utitur, hoc Iosephus. Itaque praefectus praetorio apud Dionem vocatur ἔπαρχος τῶν δορυφόρων (55. 10), ἔπαρχος τοῦ δορυφορικοῦ (61. 3), plerumque vero breviter ἔπαρχος, ut ipse pronuntiat scriptor (55. 10 οὕτω γάρ τοι αὐτοὺς καὶ ἐγὼ μόνους τῶν ἐπαρχόντων τινὸς ἐπειδήπερ ἐκνενίκηκεν ὀνομάζω). Plutarchus praefectum praetorio interpretatur ἔπαρχον τῆς αὐλῆς καὶ τῶν δορυφόρων (Galba 13) vel στρατηγικοῦ τάγματος ἡγεμόνα (Galba 5), Iosephus στρατηγὸν τῶν σωματοφυλάκων (arch. Iud. XIX 4. 5) vel ἔπαρχον τῶν στρατευμάτων (XVIII 6. 6). Apud Herodianum legimus; ἐπιστήσαντα τοῖς στρατοπέδοις (I. 8. 1), προεστῶτα τῶν στρατοπέδων (VII. 6. 4), ἔπαρχον (vel ἐπάρχοντα) τῶν στρατοπέδων (I. 16. 5 III 13. 1). Zosi-

---

1) C.I.G. 2638. 4029. 4238e. 4240. 4011. Bull. de corr. hell. XIV. 644 βιόκουροι (eph. epigr. IV 223) non sunt curatores, sed quattuorviri viarum curandarum. 2) Kaibel 911. 3) C.I.G. 1089. 4483. Kaibel 911: πιστευθεὶς τὰ μέρη τῶν ἐπάρχων τοῦ πραιτωρίου καὶ Ῥώμης (vice praef. praet. et urb.) C.I.G. 2593 ἀπὸ ἐπάρχων πραιτωρίων i. e. praefectura functus. Aliquem magistratu functum esse saepe in titulis posterioris aetatis ita exprimitur cf. ἀπὸ ἐπάρχων (Kaibel 629) ἀπὸ φλαμένος (C.I.G. 4647), vel etiam a scriptoribus: ἀπὸ ἐπάρχων (Malal. XI. 286) ἀπὸ κοιαιστώρων (Theophil. par. inst. prooem. 3.). 4) C.I.G. 2712; in cod. Iustinianeo passim. 5) C.I.A. III. 48. 6) C.I.G. 8712. 7) C.I.A. III 637, 638. CIG. 2592.

mus praefectum praetorio semper ὕπαρχον appellat. Lydus, utrumque vocabulum adhibet, ἔπαρχον et ὕπαρχον.

Apud Ioannem Antiochenum e praefecti appellationibus cognoscere possumus, quos fontes secutus sit hic scriptor: ἔπαρχον τῶν στρατοπέδων (fr. 119 ed. Müller) ab Herodiano, τὸν τῶν δορυφόρων ἡγούμενον (fr. 110) a Dione mutuatus est; praeterea suae aetatis usum loquendi secutus ὕπαρχον quoque praefectum nominat.

De magistratibus provinciarum.

Provinciam Graeci verterunt ἐπαρχία (cf. Strabo XVII p. 839). Hoc sensu usurpatur vox ἐπαρχία iam in titulo Mummiano [1], in SCto de Asclepiade facto, passim. τὸ ἐπαρχεῖον [2] et ἡ ἐπάρχιος [3]) nonnunquam leguntur in titulis posteriorum aetatum, raro τὸ ἔθνος [4]).

Polybius quidem ἐπαρχίαν hoc certo sensu non usurpat, (cf. I 15. 10: Ἐχέτλαν ἐν μέσῃ κειμένην τῇ τῶν Συρακοσίων καὶ Καρχηδονίων ἐπαρχίᾳ; ergo ἐπαρχίᾳ in universum significat ditionem, dominationem) posteri vero scriptores paene omnes provinciam ἐπαρχίαν vertunt (cf. Joseph. bell. Jud. II. 9. 1 μεταπίπτειν εἰς ἐπαρχίαν i. e. in provinciae formam redigi), Appianus vero et Dio non ἐπαρχίαν sed ἔθνος provinciam appellant [5]).

Sed nunc ad magistratus transeamus provinciarum. Summi magistratus usque ad Sullae aetatem in provinciis erant praetores (de quibus iam supra disputavimus); quo fieri poterat, ut Strabo στρατηγὸν appellativo sensu adhiberet, ubi proconsulem praefectum provinciae Baeticae intellegebat [6]).

---

1) Dittenberger, sylloge 240. 2) Kaibel 911. 3) Kaibel add. 1078a. Bull. de corr. hell. VII 17. 4) eph. epigr. IV. Nr. 128. Kaibel 991. 5) ἐπαρχία semel tantum apud Dionem repperi (69. 9). 6) cf. Mommsen, St. R. II 240 ad. 2.

Legati pro praetore appellantur *πρεσβευταὶ καὶ ἀντιστρατηγοί* [1]) (*πρεσβευταὶ ἀντιστρατηγοί* [2]), quaestores pro praetore *ταμίαι καὶ ἀντιστρατηγοί* [3]), (*ταμίαι ἀντιστρατηγοί* [4]) proquaestor pro praetore *ἀντιταμίας καὶ ἀντιστρατηγός* [5]).

Inde ab Augusti temporibus omnes provinciae senatui adscriptae a proconsulibus (*ἀνθύπατοι*) regebantur (*ἀνθύπατος Ἑλλάδος* [6]), *ἀνθυπατεύσας Λυκίας* [7]) etc. Quibus adiuncti erant legati pro praetore *πρεσβευταί* [8]) (*πρεσβευτὴς Ἀσίας* [9]), *πρεσβεύσας Κύπρου* [10]) vel *πρεσβευταὶ καὶ ἀντιστρατηγοί* [11]) appellati. Dio eos denominat *παρεδρεύοντας* (53. 14, 60, 25 etc.) [12]). Provincias imperatori adscriptas administrabant legati Augusti pro praetore: *πρεσβευταὶ καὶ ἀντιστρατηγοὶ τοῦ Σεβαστοῦ* [13]) vel *πρεσβευταὶ Σεβαστοῦ ἀντιστρατηγοί* [14]). Quorum legatorum pars ordinem consularem habebat, quare breviter *ὑπατικοί* appellantur aut addito aut omisso titulo *πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστρατηγός*, (*ὁ λαμπρότατος ὑπατικὸς πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστρατηγὸς τοῦ Σεβαστοῦ* [15]) pars vero praetoriam dignitatem, quare *στρατηγικούς* eos appellat Strabo; (XVII p. 840) in titulis vero haec appellatio non adest, scilicet quia viri praetorii minorem dignitatem addere nolebant.

Inde a secundo p. C. saeculo summus provinciae magistratus nominatur in universum „praeses" [16]), graece *ἡγεμών* (*ἡγούμενος*) vel *ἄρχων*.

---

1) C.I.A. III. 580 etc. 2) Kaibel 750. Dittenberger, C.I.G. sept. 380 etc. 3) Eckhel, D.N. IV. 247; C.I.G. 364. 1133. 1327, 1390 etc. C.I.A. III 629. 4) Eckhel D.N. IV 247. 5) Josephus, arch. Iud. XIV. 235. 6) Dittenberger, C.I.G. sept. 1855. C.I.A. III 635. 7) Ditt. C.I.G. sept. 1866. 8) 9) C.I.G. 3532. 10) C.I.G. 3532 C.I.A. III 630. 11) C.I.G. 4238 d. 12) eosdem Lydus (de mag. III 3) intellegere videtur. 13) C.I.G. 2638 etc. Kaibel 751. 1125. C.I.A. III 621 etc. 14) C.I.G. 4029, 4601 etc. Borghesi oeuvres III 275 Bull. VI 181, 183 etc. 15) C.I.G. 3747. 3776 etc. 16) cf. Macer I sqq. de off. praes.

Legati iuridici sunt δικαιοδόται[1]. Procurator semper vertitur ἐπίτροπος (ἐπίτροπος τοῦ Σεβαστοῦ[2]), ἐπίτροπος ἐπαρχίας Γερμανίας[3]), procurator Augusti ad censum accipiendum: ἐπίτροπος τῶν Σεβαστῶν ἐπαρχείας ἐπὶ κῆνσον[4]). procurator et praeses: ἐπίτροπος καὶ ἡγεμών[5]). Raro procurator ἔπαρχος appellatur[6]). Praefecti Aegypti sunt ἔπαρχοι[7]). Scriptores plurimi non accurate dignitatem magistratuum provinciarum definiunt, sed in universum praesides eos significant.

Plutarchus igitur proconsulem Baeticae vocat ἄρχοντα Βαιτικῆς (Sert. 12), proconsulem Macedoniae στρατηγὸν τῆς Μακεδονίας (Cic. 2), legatum Augusti pro praetore στρατηγὸν Γαλατίας, (Galba 4) procuratorem vero (ἐπίτροπος) proprio nomine ab aliis magistratibus discernit.

Josephus nomen generale ἡγεμών vel simile quid saepissime adhibet: ἡγεμὼν τῆς Συρίας, ὁ τῆς Συρίας στρατηγός, τὴν Συρίαν διοικῶν, ὁ τῆς Συρίας ἐπιστατῶν, Συρίαν ἐν τῷ τότε διεῖπεν; vel etiam procuratorem Iudaeae ἡγεμόνα vocat (XVIII. 3. 1), quem aliis locis ἔπαρχον τῆς Ἰουδαίας, (XIX. 9. 2) ἐπιμελητὴν τοῖς Ἰουδαίοις, (XVIII 4. 2) denique ἐπίτροπον (bell. Iud. VI 43) et ἐπιτροπεύοντα (XX. 5. 1) significat. Procuratorem Augusti ad accipiendos census vertit: (XVIII. 1. 1) δικαιοδότην τοῦ ἔθνους καὶ τιμητὴν τῶν οὐσιῶν. Contra in senatus consultis et epistulis magistratuum Romanorum, quas affert Josephus, nomina legitima accuratius servata sunt.

Apud Strabonem idem neglegens genus dicendi invenimus; nam legatum Augusti pro praetore ἡγεμόνα vocat,

---

1) C.I.G. 1364, 4236, 4240 Eph. epigr. IV. 222 etc. 2) C.I.G. 1078, 1188, 1328. 3) Mitt. d. arch. Inst. XII 182. 4) C.I.G. 3751, similiter 3497. 5) Kaibel 2433. 6) C.I.G. add. 4536 b. 7) Kaibel 1072: C.I.G. 4536 f: ἀντεπίτροπον Mommsenus non procuratorem vice praesidis intellegendum esse, sed praefectum exercitus equestri ordine praeditum affirmat cf. St. R. II 853 ad. 4.

(XVII p. 840, III p. 167), propraetores et proconsules *στρατηγούς* et *ὑπάτους* (XVII p. 840). Procuratorem interpretatur *ἐπίτροπον* (III p. 167 etc.) vel *διοικητήν*, (XVII p. 840) fortasse etiam *ὕπαρχον* (IV p. 203).

Dio ubi latinum nomen reddere vult *πρεσβευτὴν ἀντιστρατηγόν* legatum Aug. pro praetore appellat (53. 13); ceterum vero ut alii scriptores *ἡγεμόνα*, *ἄρχοντα*, *προστάτην*; quin etiam praefectum Aegypti, cuius nomen sollemne erat *ἔπαρχος*, Dio *ἡγεμόνα* (71. 22) vel *ἄρχοντα* (71. 28) denominat; certe e Dionis sermone cognoscimus nomen generale „praeses" loco antiquarum appellationum suis temporibus iam passim in usu fuisse [1]).

Ad extremum breviter, quae in universum de magistratuum Romanorum graecis nominibus dicenda mihi videntur liceat repetere.

Graecae denominationes non in singulis graecis civitatibus sed Romae factae ac publica auctoritate munitae sunt. Quo factum est, ut plurimae per omnia imperii Romani tempora ita retinerentur, ut primo inventae sunt (*ταμίας*, *στρατηγός*, *ἀγορανόμος*, *τιμητής* *δήμαρχος*); *στρατηγὸς ὕπατος* quidem circa finem sexti a. u. c. saeculi cessit breviori appellationi *ὕπατος*, postea vero haec vox non mutata est. Hi gravissimi magistratus plerique nomina acceperunt a graecis magistratibus, imprimis Neapolitanis; minores vero et extraordinarios magistratus aut plus minusve apte in graecum sermonem verterunt Romani (*τιμητής*, *τρεῖς ἄνδρες ἐπὶ τῇ καταστάσει τῶν δημοσίων πραγμάτων*, *ἔπαρχος τεχνιτῶν*, *ἐπιμελητὴς εὐθηνείας*, *τριῶν ἀνδρῶν κατασκευῆς χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ χαλκοῦ* etc.) aut, id quod multo saepius evenit.

1) cf. Mommsen, St. R. II 240 ad. 1.

nomen latinum graecis scripserunt litteris; antiquissimum huius rei exemplum est nomen *δικτάτωρ*. Imperatorum aetate hic mos percrebruit; imprimis omnes paene sacerdotes latino nomine semper appellati sunt, praeter pontificem maximum, qui cum notissimus esset sacerdos, iam pridem a Graecis *ἀρχιερεύς* nominabatur; porro magistratus ab imperatoribus instituti et officiales graecis nominibus carebant (*κουράτωρ, βιόκουρος, ὁ ἐπὶ κήνσων, ἀσηκρίτης* etc.). Pauca modo munera graecas appellationes acceperunt, scilicet gravissima et notissima: procurator (*ἐπίτροπος*) et praefectus (*ἔπαρχος*). Saepissime occurrunt denominationes, quorum dimidia pars graeca, dimidia latina est (*σρατηγὸς οὐρβανός, πραίτωρ πολιτικός, ἐπίτροπος λούδων, βεϊκούλων, ἐραρίου, καστρῆσιν, ἔπαρχος πραιτωρίων, ἀγορανόμος κουρούλλιος, τρίανδρος μονητᾶλις* etc.).

Quin etiam ei magistratus, qui graecum nomen iam antiquitus habebant, labante aetate latina appellatione denominati sunt (*πραίτωρ, αἰδίλης, τριβοῦνος, κυαίστωρ*).

Restat ut de scriptoribus agamus.

Quos quo propiores erant moribus et consuetudini Romanorum, quo magis instituta eorum intellegebant perspiciebantque, eo magis etiam nomina illa legitima adhibuisse conicere licet.

Ac primum quidem Polybium optime instituta rei publicae Romanae cognosse e libro sexto intellegimus; quare legitimas adhibuit denominationes (*στρατηγὸς ὕπατος, ὕπατος* etc.), multas quoque formulas accepit e sermone sollemni (*λόγους ποιεῖσθαι, δόγμα συγκλήτου, φιλίαν συμμαχίαν ἀνανεώσασθαι* etc.); praeterea autem novas adhibuit, quae postea plus minusve venerunt in usum vulgarem; dictatorem et praetorem *στρατηγὸν αὐτοκράτορα* et *στρατηγὸν ἑξαπέλεκυν* significavit, ut graecis lectoribus potestatem horum magistratuum declararet; quae quidem verba non pervulgata sunt, sed ab illis modo scriptoribus, qui a Polybio descrip-

serunt, usurpata sunt; alia vero vocabula quae apud Polybium primum invenimus (*ταμιεῖον, θριαμβεύειν, θριαμβικός*) postea in usu omnium versantur. At contra plurima adiectiva et substantiva a vocabulo iam prius usurpato derivata (*ὑπατικός, στρατηγικός, ταμιευτικός, συγκλητικός, ὑπατεία ταμιεία, τιμητεία* etc.) a Polybio nondum adhibentur. (qui *ὕπατον ἀρχὴν εἰληφώς* pro *ὑπατικός* ponit) sed apud posterioris modo temporis reperiuntur scriptores, imprimis apud Dionysium, qui fortasse e sermone vulgari suae aetatis eas sumpsit.

Dionysius omnino multas appellationes et interpretationes finxit, cum omnia instituta Romanorum a Graecis sumpta esse demonstrare vellet[1]). quare graeca, ubicunque potuit, nomina adhibuit. Huc referendas puto appellationes, quas sacerdotibus Romanis dedit; cum omnes ceteri scriptores latina retinerent, Dionysius flamines *στρεφανηφόρους*, augures *οἰωνοσκόπους*, fetiales *εἰρηνοδίκας*, pontifices *ἱεροφάντας* appellavit.

Apud Diodorum novas denominationes non repperimus; nam in verbis quoque eligendis fontes suos imprimis Polybium secutus est. Omnino hoc inter scriptores nostros discernere possumus: alii sermonem graecum novis augent appellationibus, alii tantummodo verbis utuntur iam antea in usu versantibus, sive fontes suos secuti, sive sermonem vulgarem. Illis adnumerabimus Polybium, Dionysium, Dionem Cassium, his Diodorum, Appianum, Plutarchum, ut alios silentio praeteream.

---

1) cf. Madvig, Verf. u. Verw. d. röm. Staats II 775: Es drängt sich uns zuvörderst sein Character als völliger und echter Graeculus auf, der ganz ausserhalb des öffentlichen römischen Lebens und dessen Formen steht, mit denen er nie in practische Berührung gekommeu war und dic cr nie von einer Stellung analog der des Polybios aus beurtheilt hatte et p. 777: Es war daher unvermeidlich, dass er unbestimmte und schwebende z. Z. durchaus fremde und verkehrte Vorstellungen z. T. unter Bezeichnungen, die griechischen Verhältnissen entlehnt waren, einschob.

Dio Cassius quoque novas denominationes finxit. neque vero tam crebras et perversas ut Dionysius; Dio enim, qui ipse summis muneribus Romanis functus est, ibi tantummodo nova nomina adhibuit, ubi necessaria putavit. Itaque praetorem urbanum ἀστυνόμον appellavit, ut melius eum discernere posset a praefecto urbi (πολίαρχος), porro τιμαρχίαν nominavit praefecturam morum, ut a censura (τιμητεία) eam disiungeret. Praetorianis quoque cum στρατηγικούς eos verbotenus interpretari nollet (quod fecit Plutarchus) nomen dedit e Macedonum civitatibus sumptum, scil. δορυφόροι; et praefectum eorum ἔπαρχον breviter significavit. ἐπειδήπερ ἐκνενίκηκεν ut ipse dixit. Sermonem igitur vulgarem sui temporis saepe secutus est (cf. γερουσία, σμικρότεροι ὕπατοι). Denique ad triumphum significandum nova adhibuit vocabula ad usum suae aetatis accommodata: πέμψις τῶν νικητηρίων, ἐπινίκια πέμπειν.

Ceteri scriptores, Plutarchus, Iosephus, Appianus, mox legitimum mox liberius quoddam genus dicendi secuti sunt. In decretis et epistulis, quae a Iosepho referuntur, legitimus sermo plerumque satis integre servatus est; magistratus enim provinciarum sollemnibus appellationibus nominati sunt: (πρεσβευταὶ καὶ ἀντιστρατηγοί etc.), in contextu vero Iosephus summos provinciarum magistratus denominationibus generalibus significat: στρατηγός, ἄρχων, ἡγεμών, ἐπιστατῶν, προεστηκώς etc. Neque vero hoc proprium est Iosephi solius, sed apud omnes scriptores reperitur, qui proconsulem, propraetorem, alios, non singulari vocabulo, sed in universum ducem, praesidem significant; quin immo plurimi scriptores graecas promagistratuum appellationes, quamquam norunt, tamen plerumque evitant; Strabo enim propraetores et proconsules στρατηγούς et ὑπάτους, Dio στρατηγικούς et ὑπατικούς vocat.

Plurimi igitur scriptores ἡγεμόνα i. e. praesidem summum provinciae magistratum appellant, quae vox temporibus

posteriorum imperatorum in genus sollemne dicendi translata est. Omnino multae denominationes primum apud scriptores, qui e sermone vulgari eas acceperunt, invenimus, deinde etiam in titulis; exempli causa afferam: *ὑπατεία, στρατηγία, δημαρχεῖν, στρατηγεῖν* etc.

Denique scriptores, ubi in sermone legitimo latinum vocabulum servatur graecis litteris scriptum, saepe graecam vocem adhibent; itaque pro *δικτάτωρ* ponunt *αὐτοκράτωρ*, pro *αἰράριον ταμιεῖον*, ut alia multa huius rei exempla praeteream.

